Σὺν τῇ τοῦ Θεοῦ παλάμᾳ!

CONSENSU ET AUTORITATE ILLUSTRIS AC GRATIOSISSIMI IN FLORENTISSIMA AD SALAM ACADEMIA COLLEGII MEDICI,

MODERANTE

VIRO NOBILISSIMO, AMPLISSIMO, EXCELLENTISSIMO ATQUE EXPERIENTISSIMO

DN. GEORGIO WOLFFGANGO WEDELIO,

MEDIC. DOCT. ET THEORET. PROFESS. PUBL. UNDIQUAQUE CELEBERRIMO, MED. DUC. SAXON. FELICISSIMO, SACR. R. I. ACAD. NATUR. CURIOS. COLLEGA PRIMARIO,

HANC DISSERTATIONEM INAUGURALEM

De

MALO HYPOCHONDRIACO,

PRO LICENTIA

SUMMOS IN ARTE MEDICA HONORES, INSIGNIA AC PRIVILEGIA DOCTORALIA, MORE MAJORUM SOLENNI AC LEGITIMO, CAPESSENDI

Publicæ Iatrosophorum censuræ expono

JOHANNES CHRISTOPHORUS Zopff/ GERANUS.

in acroateriô majori

ad d. Novembr. Ann. M DC LXXVI.

horis ante & pomeridianis.

TYPIS KREBSIANIS.

CAPUT I.

§. 1.

PAſſionem hypochondriacam penitiùs intuendam cùm animum induxerimus, opus ante omnia videtur, explicare terminos, qui quædam quaſi ſunt velamenta ſeu involucra, quibus remotis res ipſæ meliùs conſpiciuntur.

§. 2. *Paſſio* igitur *hypochondriaca* nomen ſortitur à loco adfecto, à patientibus nimirum hypochondriis. *Hypochondria* verò, ſi Anatomicos conſulamus, idem notant, ac *ſubcartilaginea*, quaſi dicas *ſub cartilaginibus poſita*, & ſunt partes illæ, quæ ὑπὸ τῶν χόνδρων εἰσὶ, h. e. quæ à mucronatâ cartilagine ſub coſtis nothis ad Ilia uſq; protenduntur, *teſte Gorræo in definit. Med.* Dividuntur Hypochondria (α) in dextrum & ſiniſtrum; (β) Hypochondriorum adpellatione partes tàm externæ, quàm internæ venire poſſunt. Sumuntur enim vel pro muſculis illis, qui intus peritonæo involuti extrinſecus cute conteguntur, quos in adfectu noſtro neutiquam laborare extra controverſiam ponimus: vel ſumuntur pro omnibus viſceribus, quæ ab extremitatibus ſterni coſtarum cartilaginibus interiori in parte ſunt finitima, qualia ſunt ventriculus cum annexis inteſtinis, meſenterium cum vaſis ſuis lacteis & ſanguiferis, hepar, ſplen, pancreas cum ſuo ductu, omentum &c. Atque in hoc ſecundo ſignificatu ὑποχόνδριον ab Epigaſtrio vix differre videtur. Nec tamen nomen ideò ſtatim mutandum eſſe arbitror, quia alias quoque abdominis partes infeſtat adfectus noſter, quin in reliquos quoque duos ventres ſuam ſæpenumerò transmittit ferociam. Fomes enim & focus mali plerumque circa regionem jam deſignatam latitat, indeque reliquæ partes & regiones tantùm per conſenſum participant. A potiori igitur ſemper fit denominatio.

§. 3. Quamvis etiam symptomata adfectum nostrum constituentia Antiquioribus plures, eosque propriis suis nominibus à se invicem disjunctos fuisse morbos ex *Hippocrate* pateat, qui *libr. 2. de morb.* per *νῦσον αὐαντικὴν* seu morbum siccatorium; per *νῦσον ἐρυγματώδην* seu morbum ructuosũ, & per *νῦσον μέλαιναν* sive morbum nigrum nihil indigitat aliud, quàm morbum hypochondriacum; Symptomata quippe omnia ab eo recensita exactè cum adfectus nostri phænomenis coincidunt; Hinc moderni Medici, videntes hosce tres distinctos Hippocratis morbos sæpè invicem complicari, nec loco adfecto multum inter se differre, magis consultum duxerunt, conjungere illos, & sub communi morbi hypochondriaci adpellatione comprehendere; Non desunt tamen, qui contendunt, adfectum hunc nostrum *Hippocrati* planè fuisse incognitum, quia nullibi aliquem sub mali hypochondriaci formalibus terminis proponat, lite tamen, uti arbitror, ad ipsam curationem parum conferente.

§. 4. Cur verò adfectionem hypochondriacam *Hippocrates* indigitare voluerit per *νῦσον αὐαντικὴν* multi adhuc disputant, & sunt, qui pro explicatione terminorum hanc addunt rationem; quod scil. in hoc adfectu lien potissimùm hujusque confinia sint in culpæ partem vocanda, sanguisque in vasis splenicis & epigastricis ubique scatens intemperie calidâ & siccâ sit imprægnatus, ideoque hic, utpote adustioni & nimiæ fermentationi subjectus, facilem his passionibus præbere ortum possit. Verùm opinioni huic minus favet inter alios *Higmohrus*, qui in *dissert. de affect. hypochond.* vindicias adfert lieni, omnemque hujus morbi causam in depravatam ventriculi constitutionem refert, atque exindè omnium hypochondriacos comitantium symptomatũ rationes originaliter petendas esse ostendit. Cui iterum contrariatur *Schwalbius*, qui in *querel. ventr. pag. 260.* plurima quidem sub malo hypochondriaco perpeti scribit ventriculum; minimè tamen primarium ipsius adfectus esse subjectum: quod tamen ex sequentibus facilè erit componere.

§. 5. Νῦσος ἐρυγματώδης seu morbus ructuosus dicitur ob flatuum copiam, partim in ventriculo, partim in intestinis ex vitiosâ fermentatione generatorum; qui à membranarum contractu-

tracturis dein moventur, sonitusque ac murmura edunt, tandemque partim vel ἄνω vel κάτω eructantur, partim hypochondria distendunt; magnamque sæpius & ad motum quemvis laboriosam circa præcordia angustiam excitant & anxietatem.

§. 6. Νȣ̃σ☉ μέλαινα nomen sortitur ab excretione potissimum per vomitum humorum ad nigrorem vergentium. Quoniam enim adsumta alimenta ob βραδυπεψίαν ultra præstitutum tempus in ventriculô morantur, eorum particulæ salinæ in fluorem exaltatæ totam massam variè alterant & corrumpunt, & in saburram modò acidam & vitriolicã, modò salsuginosam & acrem pervertunt. Et quoniam ob πνδυματώσεως defectum chymus haud in totum volatilisatur, atque ad intestina propellitur materiæ depravatæ pars, ventriculi parietibus altius impacta ponè relinquitur, variisque tandem ob salium vitriolicorum exaltationem tincta coloribus per vomitum excluditur.

§. 7. Germanis communi loquendi formulâ dicitur die Miltz-beschwehrung. Verum quô jure patet ex Anatome, & paulò infra pluribus examinabitur. Nihilominus tamen, si quid præternaturaliter huic vel illi accidit, de quo causas genuinas & fiendi modos adsignare non statim suppetit; statim lienem infamat imperita plebs, atque in illum, tanquam in cujusvis adfectus anomali auctorem, omnem culpam rejicit. Consentiunt Medici, qui aut falsâ opinione seducti, aut ut plebi magis placeant, similiter morbum lienis adpellitant, etiam quando ille insons penitus est. Hinc Emplastra splenetica adhibent, utpote de cicutâ, de Ammoniaco &c. queis sua quidem laus, quippe pro ratione adfectus egregia, non denegatur; attamen hoc in passu non rarò æque certa ac infallibilia sunt remedia, ac ipsa opinio certa ac fundata est, lienem esse fomitem ac focum ipsius mali.

§. 8. Ne vero solis nominum speculationibus indulgere videamur, cum juxta *Galen. 1. M. M. cap. 7.* οὐκ ἐκ τῶν ὀνομάτων τὸ καλῶς ἰάσασθαι τὰς νόσους, ἀλλ' ἐκ τῶν πραγμάτων ὀρθῆς ὑπολήψεως dependeat, definitionem realem rectâ aggrediemur viâ. Est igitur *Passio hypochondriaca dispositio præternaturalis variarum corporis partium, dependens tàm à spirituum animalium & massæ sanguineæ dyscrasiis, quàm à viscerum coctioni inservientium anomaliis.*

liis.

lis. Genus, quod formalem rationem constituit, est *dispositio præternaturalis*, ceu commune omnium morborum generi vocabulum, sicque sub eo non solum δυσκρασίαν, seu temperamentum vitiatum intelligimus, sed & non excludimus inhibitum humorum motum ex obstructionibus, utpote in quibus potissimum doloris hypochondriaci situm esse momentum experimur: nec *magnitudinem auctam* ex sæpius contingenti viscerum intumescentiâ & scirrhositate, malo graviori non rarò superinductâ, cum constet ex Anatomicorum observationibus, viscera aliquando tantæ duritiei esse in cadaveribus reperta, ut vix cultro cesserint; tantæ molis, ut ex relatione *Barthol. hist. 5. Cent. IV.* unicus v. g. lien 32. libras pependerit. Facilè tamen obtusos hosce ac gravativos solùm, à veris iisque magis acutis hypochondriacorum doloribus, quilibet poterit distinguere. Nec excluditur *solutio continui*, Græcis ἀπόσπασμα, seu vellicatio ac tensio membranosarum partium, ac consequenter tristis sensatio; quippe quæ sæpissimè quoque conjungitur, ut hinc à dolore hypochondriorum v. g. quamplurimi etiam nomenclaturam arcessant.

§. 9. Jam de proprio & adæquato morbi hujus complicatissimi SUBJECTO magna adhuc inter auctores medicos agitur lis. Videntes enim aliqui, plures sub hypochondriis contineri partes, nec tamen certam aliquam determinare valentes, *toti hypochondriorum confinia* in culpæ partem adsciverunt; *sanguinemque in vasis splenicis ac epigastricis* contentum pro primâ mali origine accusârunt. Alii *ventriculum*, ceu promum condum microcosmi omne hoc malum patrare asserunt, quibus ut causæ sociæ *intestina* junguntur, uti in specie dolores hypochondriacos in colo fundari testatur experientia. Plerique omnem culpam *lieni* tribuunt, quasi per πρωτοπάθειαν ipse, & principaliter, reliquæ partes per συμπάθειαν magis adficiantur, quorum antagonista & lienis patronus *Sylvius in disp. de liene §. 20. pag. 46.* contrarium statuit, & refert se in plurimorum cadaverum adfectibus melancholicis, etiam diuturnis & ad mortem usque laborantium perscrutatione lienem ferè *semper* sine labe observâsse, & plerumque præ cæteris visceribus satis sanum, nunquam inflatum, nunquam obstructum aut induratum. *Excell. quoq; Dn. D. Ammann, Præceptor olim meus multis nominibus*

minibus venemndus, ſtrenuè ſatis lienem à reatu vindicare conatur *in Paræneſi ad diſcent. p. 90.* ubi ſtructuram & uſum lienis ex mente accuratiſſimorum Anatomicorum ſatis eruditè proponit. Alii ad *meſenterium* ſedem morbi referunt, fomitemque in obſtructione vaſorum, vel lacteorum, vel ſanguiferorum quærunt. Hanc verò in meſenterio accuſando Medicorum promptitudinem meritò cum *Ballonio libr. I. conſil. 43.* reprobat *eruditiſſimus Conringius in diſp. de malo hypochond.* quaſi verò in hâc ſolùm parte omnium morborum ſedes exiſtat. Alii *hepatis parenchyma* accuſant; alii ad *pancreas* confugiunt, tanquam ad commune aſylum, quia duritie & obſtructionibus glandularum ac vaſorum, quæ plurima habent ambo, facilè tentari poſſint. An verò in hâc vel illâ peculiari parte malum ſemper & ſine exceptione hæreat, meritò dubitandum; an inſuper primaria mali cauſa huic vel illi ſolùm parti ſit adſcribenda, cuilibet ponderandum relinquo. Arbitror potiùs, præſupponendum eſſe aliquid, quod chylum priùs debitâ craſi & πνευματώσει deſtituat, quàm ſanguis exindè paratus dyſcraſiam iſtam ſeu diatheſin coagulatoriam contrahat, ſicque ad obſtructiones generandas aptus fiat. Alii alias *quasdam cavitates* quaſi extrinſecas, v. g. inter, ventriculum & diaphragma *circa omentum, lienem & hepar* ſibi pro parte adfectâ audacter effingunt, præcipuè cum medicamenta curioſè licet & ſedulò uſurpata evacuantia ac alterantia parum videantur mali ſedem attingere; ut ita hîc quoque locum habeat illud πολύκλαυστον: quot capita, tot ſenſus. Benè igitur monet Higmohrus; *Neminem mirari debere, ſi in curatione tàm difficilis morbi diu hæſerint Medici, cum de loco adfecto tàm malè inter ſe conveniant.*

§ 10. Nos, ut ex hoc labyrintho commodus pateat exitus, præſupponimus 1. omnia viſcera infimi ventris duplici fini vacare, aut enim in chylo conficiendo aut depurando ſanguine occupantur, quodvis in ſuo genere. 2. habere hæc ipſa inter ſe quandam κοινωνίαν ſeu communionem; cum in eundem quippe conſpirent finem, & tradere ſibi operas mutuas. 3. aliud ſubjectum eſſe ſtatuendum per eſſentiam, aliud per conſenſum, aliud principale eſſe, aliud adæquatum, alium focum, alium, locum ſeu alibi cauſam, alibi ſymptoma radicari: Hinc adeò 4. aſſerimus, non unũ ſolum in adfectu hypochondriaco viſcus eſſe affectum, ſedmodò

magis

magis hoc, modò aliud magis, ob diversitatem effectuum, quin hoc modo illo, modò alio modo; id enim & ratio suadet & experientia testatur, cum alterutro in societatis officio deficiente, fieri non possit, quin frustretur natura in intentione suâ. Si enim una semper in quovis individuo adfecta pars esset, sequeretur, omnes peræque laborantes eodem modo, iisdemque symptomatis urgeri: Jam verò tantam in hypochondriacis animadvertimus accidentium varietatem & alternationem, ut vix centesimus quisque similia cum altero patiatur. Annon igitur verè concludere licebit, partes quoque adfectas eâdem ratione alternare? 5. Lienem cum *Dn. D. Præs.* nec semper, nec nunquam affici statuimus, sed conferre singula suum symbolum, ut hinc in graviori statu non unum solum malum, sed lerna malorum visenda sit, referenda tamen omnis ad alterutrum summum hoc jam dictum genus. Inprimis vero originale quasi & generationis subjectum, seu ubi prima stamina & primaria causæ morbificæ scaturigo, est VENTRICULUS, communis cæterarum partium famulus. Hinc enim, uti primus ac præcipuus corporis nostri coquus in statu naturali adsumta ore alimenta nativo suo calore benè coquit ac digerit, & vi fermentationis solvit feliciter, eorum vincula destruit, & in massam uniformem, cremori ptisanæ similem redigit, ut ita ab inutilibus ac fæculentis partes alimentorum sanguini reparando utiles nunc faciliùs, nunc difficilius, prout sc. firmiùs vel laxiùs sunt inter se junctæ mistæque, possint secedere; & dein accedente blandâ in intestinis ex adfluxu bilis & succi pancreatici factâ effervescentiâ unitorum secretio & uniendorum concretio actu celebrari, & sic laudabilis, nullisque heterogeneis particulis impregnatus chylus in vasa lactea possit propelli: Ita idem ventriculus in statu præternaturali, ubi scil. fermentatio in eodem promovenda debilitatur aut depravatur, sicque commistæ naturaliter per salina sua vincula ciborum partes non ritè disjungi ab invicem, nec homogenea ab heterogeneis feliciter separari possunt, variorum morborum dolorumque est promus condus.

§. 11. Hinc itaque gravissimi morbi ex abolitâ aut imminutâ hâc fermentatione ducunt originem. Certè alimenta afficienti licet temporis spatio in ventriculo retenta, cruda tamen aut mi-

nus

nus certè, quàm decebat, immutata vel sursum, vel deorsum iterum excernuntur sine omni spe nutrimenti vel roboris. Tacemus, quantum exoriatur incommodi ex auctâ & diutinâ nimis alimentorum fermentatione, cùm quilibet facilè perspectum habeat, in mediocritate consistere omne bonum, in extremis malum. Dicendum potius erit, quid depravata fermentatio faciat ad adfectum nostrum hypochondriacum. Hæc ingesta ore alimenta ita in ventriculo immutat, ut neque continenti, neque contento corpori laudabile præbeat alimentum; sed noxium. Nec corrigi facilè potest in secundâ aut tertiâ primæ coctionis vitium; nam juxta *Helmontii* effatum, *tract. Humorist. pass. decept. non itur ad secundum aut tertium, nisi per absolutum primum.* Hinc debitâ coctione non observatâ partes chyli tenuiores & spirituosæ justo elabuntur citiùs, sanguinemque tenuiorem & calidiorem producunt. Jam à caloris augmento præternaturali spiritus magis dissipantur, fibræque ideò laxiores & magis flaccidæ evadunt, adeò ut alimenta à ventriculi parietibus ritè comprimi, & quadantenus licet fermentata feliciter expelli nequeant, sed juxta *Higmohrium in acidam, viscosam & acerbam degenerent materiam.* Hæc deinde in ventriculo residua partim pondere suo tonum ejus semper laxiorem efficit, sicque ad compressionem magis magisque ineptum; partim visciditate ac tenacitate suâ plicis ipsius ventriculi se insinuat, parietes aggravat, distentiones continuas, borborygmos ac murmura, flatus & ructus cum sputatione molestos ægris inducit, partim demum aciditate & acerbitate suâ ructus acidos & nidorosos, cardialgias alvique obstructiones sæpè pertinacissimas progenerat.

§. 12. SUBJECTUM ADÆQUATUM totum designamus corpus. Ex hoc enim dicto foco variis locis affricatur labes, & varia hinc sive seorsim sive conjunctim viscera suos patiuntur manes, adeoque subjectum hinc symptomatis hujus vel illius evadunt, ad quod recipiendum ac patiendum majorem obtinent dispositionem, non obstante, quod successu temporis sæpè malum essentiale fiat.

CAPUT II.

§. 1.

QUantum momenti adferat perfectiori rei cujusdam cognitioni causarum notio, jampridem divulgavit *Peripateticorum Coryphæus, II. Phys. 3.* dicens: *Tunc demum scimus, quando rem per causam cognoscimus*: Et quàm necessaria in cognoscendis & curandis humani corporis adfectibus Medico sit causarum notitia, docuit *divinus Senex in aureo περὶ Φύσιων libro*, ubi, *si quis*, inquit, *causas adfectionis probè cognoverit, facultatem habebit, offerendi ea, quæ corpori conferunt, ex eorum, quæ morbo contraria sunt, cognitione.* Ut itaque & nos adcuratiorem nostri adfectus adquirere nobis scientiam, ipsiusque essentiam intimius reddere queamus perspectam, primò omnium causarum evolutioni ut studeamus, opus est. Has melioris cognitionis gratiâ receptâ methodo in immediatas & mediatas, easque vel proximiores, vel remotiores dividimus. Inter immediatas referimus FLATUS, HUMORES & ANIMAM corpoream seu spiritus animales.

§. 2. Quoad VAPORES; Chylus ut in statu naturali pro alendo corpore blanda evolutione evaporare & spirituascere solet, ita quando id non fit in primis quoque generantur flatus plurimorum symptomatum hypochondriacorum causæ. Acceptum id refertur juxta *Pergamenum* debilitati caloris respectivæ, vel sua natura, vel respectu objectorum considerati. In statu enim naturali omnia culinæ quoque hujus munia sub caloris imperio perficiuntur, qui omnibus præest, ordinat, perficit, unde vel nulli vel paucissimi, qui negotium facessant, generantur flatus. Simulac verò instrumenta coctionis calor & fermentatio non ritè habent, & μόλυνσιν contrahat chymus, innumeri prosurgunt & spirant halitus, flatus & peregrini vapores.

§. 3. Hinc materialem flatuum ortum non incommodè *Kergerus tractat. de ferment. III. cap. 4. pag. 223.* ex vitiosa fermentatione optimè derivat, prædominante scil. præternaturali acido in materia viscida. In naturali enim fermentatione humor acidus ex alimentis paratus, & in ventriculi plicis residuus, ingestorum coctionem & subactionem promovet, acida enim

quæ

quæ sale ad fluorem evecto sunt refertissima, cibos dissolvendos optime juvant. Hinc acoris fermentalis actione partes combinatæ, quibus esculenta potissimum constant, in ventriculo confringuntur, & in particulas minutiores ac simpliciores resolvuntur. Nec dubitandum, ut in omni fermentationis actu illud videre licet; ita in hâc quoque debito modo sese habente turgescere quidem massam, & æmulari quasdam quasi bullas, & flatus prosurgere, at hi nec copia, nec alienâ vel malignâ putridâ qualitate præditi, sed sub caloris moderatione innoxiè exploduntur. Non raro tamen recedit à laudabili hoc statu fermentum, & acoris aut nimium, aut debito minus in se continet. Si igitur excedit sal acetosus terminos, ingesta quælibet facilè coacescunt, dum partes acido-salinæ suppressis reliquis raptim exaltantur & in fluorem evehuntur. Et tunc longè copiosior flatuum oritur proventus, quos patientes vel cum acido, vel nitroso molesto sapore emittere solent à simplicissimorum etiam & εὐχύλων aliàs ciborum comestione.

§. 4. His præcognitis facilè patescet, quâ ratione flatus generentur in ventriculo & hujus appendicibus intestinis; nimirum per fermentationis modum, ita ut pituita viscida sit causa materialis, vitiatum verò fermentum productiva seu efficiens, agendo scil. in pituitam, eandemque rarefaciendo in flatus. Non aliter, ac ex musto fermentante prodit gas copiosum flatulentum, quod anteà in eo non observabatur, & quadantenus suppressum latitans per fermentationem demum excitatur. Et licet *Helmontius lib.1. de flatib.341.* putet, ventriculum naturaliter sese habentem & debitâ fermenti ἐνεργείᾳ instructum etiam δύσπεπτα alimenta in nullos flatus convertere; Raphanus tamen rusticanus, allium, cepæ & uvæ comestæ, aliud suadent, si vel à robustissimo stomacho emittantur flatu vel ructu. Et *Cl.Sylvius* apertè contrariatur Helmontio, dum *lib. I. Praxeos, cap. IX.* docet; adsumta flatulenta, utpote castaneas, fabas, pisa, rapas, raphanos plurimum facere ad productionem flatuum in quolibet stomacho. Quod autem à vitiatâ fermentatione producantur, exindè patet, quia post cibum maximè se exerunt, dum fermentatio & rarefactio alimentorum incipit. Et quamvis jejuno etiam stomacho, dudumque finitâ coctione ac fermentatione exitum machinando fluctuent, residui tamen

men illi sunt vel à retentione voluntaria, vel quia per noctem ipsius non datus liber exitus fuit. Hi vero flatus ob denegatum exitum coacervati cum impetu per spatium coli ruunt, borborygmos & murmura non sine sensibili inflatione ac distensione, doloribus vagis, parumque sibi constantibus inducunt. Interdum adscendere percipiuntur, sicque uteri mentiuntur adscensum, sæpèque plures progenerant passiones, quas pro uteri suffocatione insciæ mulieres proclamant. Interdum dolores in dorso procreant, & calculi terriculamenta simulant, quatenus scil. ob nimiam membranarum distensionem nervos irritant & in spasmos adigunt. Quæ tamen omnia in symptomatum historiâ fusiùs explicabuntur.

§. 5. Pergendum ad alteram causam immediatam, quam HUMORES constituunt. Humores, teste *Hippocrate*, omnium morborum generationem accelerare possunt, quatenus eorum aliquis aut minus fuerit, aut amplius, aut separatus in corpore, & invicem non ritè contemperatus. Veritatem hujus adsertionis evidentissimè ostendit adfectus noster, utpote qui à solâ heterogeneorũ humorum depravatâ mistione primam ducit originem. Qui deinde suas adepti δυνάμεις, ἀκρότητας καὶ ἰσχῦς variè in corpore tumultuantur, variosque inducunt dolores. Non vero solos excrementitios huc facere, sed alimentarios quoque quotidiana testatur experientia. Ambo enim à fermento, ventriculi plicis geniali & inquilino plus minus depravato, primùm variè alterati, & modò viscidi, modò acidi, vel acres facti, suam plerumque vitiatam qualitatem servant, nec in secundis coctionibus facilè emendantur. Hinc fit, ut corpus pro vitiatâ diathesi nunc distendant, nunc contrahant, nunc vellicent, moxque pulsationes, obstructiones aliaque symptomata producant. Etenim cibi, quamprimùm recipiuntur, non statim suo pondere in intestina feruntur, sed illos primò levi fibrarum contractione, quasi sacculo inclusos comprimit ventriculus & amplectitur, dein vi caloris & succi fermentitii illos dissolvit, infringit & ebullire facit, ut per salini eorundem vinculi dissolutionem facilius segregari, & in minimas resoluti partes naturali fibrarum motu in intestina propelli, postmodumque cum redundante ex Pancreatis glandulosâ substantiâ succo acido, & adfluentibus lixivio-salinis particulis

culis ritè conjungi & effervescere possint, uti jam supra monuimus.

§. 6. Sin verò vel ob defectum spiritum animalium, in statu naturali continuò adfluentium, vel ob esculenta potulentave nimia quantitate ingesta tonus ventriculi est laxatus, fibræque ipsius debilitatæ expulsioni totius massæ non sufficiunt, contingit, ut remaneat aliquid in fundo ventriculi, & diuturniore morâ, tardioreque fermentatione acorem adquirat: quod ingesta posteà omnia eâdem imbuit qualitate & acescere facit. Hæc longiori demum ob debilitatam fibrarum compressionem spatio per pylorum pedetrntim expressa, servant suam acidam diathesin, parsque tenuior, fluidior ac spirituosior in minutula venarum mesaraicarum sese insinuat orificia, sanguinique sese immiscens, eidem aptitudinem quandam ad coagulandum infert aciditate suâ; quâ fit minus fluxilis, adeoque in vasis minoribus congelari habilis. Non secus, ac in lacte videmus, quando acescere incipit. Tunc enim simul ac igni admovetur & incalescit, aut si sibi etiã relinquitur, facilè abit in coagulum: parili ratione si hoc in statu ejusmodi ad acescendum promptitudinem suspicamur quoq; in sanguine, vix à scopo aberrabimus. Et certè hypothesi huic nostræ lucem maximè fœneratur idem lac, si quovis liquore acido adfuso statim coagulatur, uti plures ejusmodi encheireses in coagulandis succis legimus apud *Beckium, Bohnium* aliosque. Quidni igitur idem accidere sanguini, quod lacti possit, si accedat ejusmodi acidum quidpiam, cùm propter congeneres particulas maxima huic cum illô sit analogia? Certè ostendit possibilitatem experimentis complurimis ingeniosiss. *Willis in Pharm. rational. p. 145.* Sanguis verò seu chylus etiam propter diathesin ejusmodi acidam hoc modo coagulatus, æquali circulationi minus aptus redditur, & dum per minutulos venarum & arteriarum ductus movetur, sæpè aliquid circa valvularum præsertim, queis venæ, ne sanguis relabatur, affatim sunt munitæ, ostiola ponè relinquitur. Quod deindè successu temporis circulationem sanguinis magis magisque impediendo stagnationes causatur, maximè dolorificas. Non aliter, ac in cisternis seu canalibus aquam vehentib⁹ quotidiè videmus, quando illorum juncturis terrestre aut mucilaginosum quidpiam sub-

subinde adhærescit, ductusque tandem ipsos successu temporis obstruit, & liberum aquæ per illos cursum intercipit.

§.7. Alterum, quod loco chyli volatilis à vitiato fermento stomachico producitur, ex terrestris & limosa materia, ex terrâ & sale fixo inprimis, maximè tamen acido constans: *Paracelso* tartarus fecalis non incongruè nominatur, quòd scil. succo illo, qui in doliis vino repletis plerumque solet concrescere, aliquo modo sit similis. Hæc tenuiori ac puriori parte, pro succo nutritio in vasa lactea expressâ spoliata, tàm firmiter non rarò intestinorum parietibus est impacta, ut vix ullis cedat purgantibus; tantâque sæpius coacervata est quantitate, ut totum colon eodem infarctum legatur apud Anatomicos. Notabile inprimis exemplum refert *Sennertus lib. III, Praxeos*, & quidem de famigeratissimo Lipsio; hunc scil. à vitâ sedentariâ continuisque vigiliis tantam pastæ hujusmodi lentæ atque tenacis sibi coacervâsse molem, ut totam intestinalem fistulam complevisse fuerit credita, dum in excretione per alvum eandem continuitatem, eandemque figuram retinuerit, quam illa habere solet: adeò ut ipse, majoris mali timens sibi imaginatus fuerit *Lipsius*; se unicâ hâc sede omnia intestina simul effudisse. Hæ insuper sordes mucilaginosæ tàm ferinâ plerumque sunt inquinatæ acrimoniâ, ut membranis intestinorum admodum hostiles evadant, easdemque dolore semper fixo & lancinante, atque, ut *Sylvii* vocabulo utar, perterebrante mirum in modum excrucient. Non rarò quoque mucosa hæcce materia fecibus alvinis concopulatur, easdemque in motu excretionis retardat. Hinc illæ à diuturnâ retentione exsiccantur, magisque à flatibus in intestinis hinc inde fluctuantibus concentrantur & compinguntur, suâque ita humiditate, à calore nativo continuo depastâ destitutæ in cellulis coli subsistunt; eò usque pertinaces, ut neque motu intestinorum naturali, neque compressione à partibus vicinis, nec aperientibus, etiam satis fortibus vel tantillum moveri possint. Hinc fuére Medici, qui in desperatis istiusmodi obstructionibus mercurii crudi vel totam libram propinarunt patientibus, ut hujus pondere scybala protrudantur è sede, nimisq; compacta & indurata illius activitate ab invicem segregentur, & ad expulsionem fiant aptiora. Quam etiam ἐμπειρίαν plus una vice ex voto cessisse legimus.

§.8. Ter-

§.8. Tertia demùm se sistit causa proxima & immediata, quam diximus esse ANIMAM CORPOREAM, seu SPIRITUS ANIMALES. Hæc anima corporea juxta *Willis. de An. Brut. cap. IV. Brutis perfectioribus & homini communis est, nihilque est aliud quam pars animæ sensitiva atque vitalis, toti corpori organico coëxtensa, & divisibilis.* Et porrò, teste eodem *Willis. cit. loco cap. II. particulis ejusdem materiei, à quâ corpus organicum in utero formatur, iis vero selectis, subtilissimis & maximè activis constat.* Quæ deindè etiam velut flos ex crassiori massa emergentes in cerebro & cerebello ex eadem materiâ, quâ corpus nutritur ac sustentatur, generantur; è sanguine nimirum supra & circumcirca posito velut per descensum destillantur, & exstillati ita ulteriorem adhuc in cerebro nanciscuntur perfectionem. Facilè enim adstipulamur iterum hac in re *Willisio modò citato, qui cap. V. d. ferment.* satis ingeniosè hariolatur, spiritus animales in cerebro inspirari fermento quodam, quo adhuc magis volatilisentur, & pro obeundis motus & sensationis muneribus idonei reddantur. Et huic opinioni suæ addit rationem; quod scilicet cerebri substantia sale volatili abundè referta sit, qui pro acuendis & subtilisandis spiritibus plurimæ virtutis existat. Spiritus itaque hoc modo quasi summè rectificati, ex cerebro posteà per appendices medullares nerveas, quasi per rostra hic illic apposita in partes omnes inferiores dimanant, easdem vivificant, actuant & irradiant.

§.9. Sæpè tamen accidit, ut spiritus hi variè adficiantur, sicque variorum morborum dolorumque existant causæ. Etenim enervatis illis vel absumtis aciditatum morbificarum in corpore observatur dominium, utpote quarum acrimoniam illi anteà temperabant. *vid. Exc. Bohnius in Exerc. Physiol. XV.* Quantum verò faciat ad nostri doloris productionem nimia aciditas, vel ex præcedentibus abunde clarum erit. Tale etiam quid si in ipsos spiritus aut in corpora eosdem continentia irruat, fibrarumque porulos & interstitia concopulatum subeat, quoniam improportionatum est, & adsimilari nequit, in corrugationem & convulsionem propter molesti expulsionem irritat nervorum fibrillas, sensionesque ita perquam molestas satisque diuturnas in variis corporis partibus ciet. Ipsi etiam spiritus propter istiusmodi nervorum

vorum corrugationes distrahuntur ab invicem & in ἀταξίαν adiguntur. Quippe in motu ordinario præpediti ad plenitudinem aggravativam & irritativam facilè adsurgunt, sicque in motum rapidiorem incitati ebulliunt, vasa continentia distendunt, fibras sensiles ab invicem divellunt, aut tamen irritant, sicque turbas cient varias, aliosque subinde ac alios dolorum inferunt paroxysmos. Quæ tamen omnia in symptomatum historiâ uberius expendentur, & ad lydium veritatis lapidem fusius examinabuntur. Nunc ad causas procatarcticas seu remotiores & mediatas.

CAPUT III.

§. 1.

HAs duplices constituemus, vel NATURALES, vel NONNATURALES. Inter NATURALES primo loco ponendum est TEMPERAMENTUM, quatenus scilicet juxta *Mœb. in Instit. cap. VI. in sanguine arterioso & spiritibus tàm animalibus quàm vitalibus æquali proportione concurrentibus, immediatè consistit.* Quando nimirũ hoc à causis sive externis sive internis alteraum, aut per adfluxum cujuspiam vitiosè acidi aut viscidi à naturali temperatâ crasi deturbatum, prædispositionem quandam habet coagulandi, aut in flatus abeundi, nervorumque plexus variè convellendi.

§. 2. An HÆREDITARIÆ DISPOSITIONI aliquid tribuendum, multi sunt, qui dubitant, rati, si quid peregrini in semine latitet materialiter, nullam sequi generationem aut conceptionem. Verum si quasdam cernere licet familias, quarum singulis peculiare quoddam morbi genus ita est familiare, ut omnes de eadem stirpe sati iisdem ferè morborum symptomatibus corripiantur, &, quod mirum, multi iisdem annorum numeris vitæ terminum claudant, non habemus certè, cur de jure morborum hæreditario dubitemus. Si porrò parentum virtutes & vitia, utpote quæ animo potius, quàm corpore organico dependent, per potentiam quandam hæreditariam transplantari, & per semen paternum in sobolem propagari agnoscimus, quid inhibet, quò minus quædam morborum, materialium quippe & corporeorum

adfectuum

adfectuũ genera à Parentibus per vim plasticam soboli communicari statuamus? Posito igitur, dari morbos hæreditarios, nondum tamen liquet, quâ ratione, aut quibus mediis morbi propagentur? Hinc aliqui ad occultam sed fertilem aliquam in semine qualitatem confugiunt, ast hi mox quidem se explicant; sed interea cujus rei scientiam pollicentur, ejus ignorantiam inviti fatentur. Alia igitur quærenda ratio hæreditarii nostri mali, quam duplicem animadvertimus. Contrahi enim potest vel ratione Patris, vel ratione Matris; Hujus quidem, quatenus ipsa de fixo quopiam sale facilè coagulante participat, sicque sanguinem simili diathesi infectum in utero suppeditat, aut deinde quoque extra uterum lac, iisdem qualitatibus depravatis infante propinat, sicque à primo statim ortu propensionem quandam morbosam puero inurit, *Vid. Helm. tract. Infant. nutrit. ad vitam longam.* Ratione vero illius res dubia poterat videri prima quidem fronte Harvei principia sectanti, statuentis sc. *semen masculinum non quoad ὄγκον seu molem, sed quoad ἐνέργειαν tantùm concurrere ad generationem,* ideoque eodem mediante hoc malum minimè posse communicari. Verùm responsionem suggerit *Helmontius Tract. Inventio ♀i in morbis temeraria* §. 20. ubi dicit: *morbos nunquam permistos esse semini materialiter, per modum tartari, nec tartarum vel cretam podagricam &c. in semine praeextitisse, sed morbos à parentibus latere charcteraliter in &c.* Quem posteà vitiosæ διαθέσεως characterem eo ipso, dum contagio suo uterum fœcundat spiritus in semine delitescens, omniumque partium ideam exprimens, unà cum partium ideâ imprimit. Hoc verò transplantatæ morbificæ dispositionis seminium ad triginta annos & ampliùs delituisse legimus in natis, donec dyscrasiæ sanguinis cætera quoque se junxerint requisita. Imò in nepotibus tandem primò erupisse illud, & in actum fuisse deductum probat experientia. Non quòd causas morbi, quo nepotes infecerint, in se planè non continuerint filii; sed quòd causis his aliquid fortius restiterit, valida nimirum constitutio & bona diæta: quod fortassè non factum in nepotibus. Fieri etiam posse observatum est, ut noxa à parentibus contracta per robur virium & bonam diætam corrigatur & penitùs aboleatur.

§. 3. *Mala* quoque *conformatio*, seu *habitus corporis à naturali*

 decli-

declinans, *incurvus* præcipuè non parùm confert, quatenus nimirum partes per curvaturam in se invicem comprimuntur & angustantur, sicque gravitate, violentiâ & compressione suâ venas quoque premunt & nervos, sanguinique & spiritibus vias præcludunt.

CAPUT IV.

§. 1.

SEd ad causas antecedentes seu NONNATURALES deveniendum, quarum vulgò sex numerantur, iisque ordine consideratis primo se loco ostendit AER. Hic quàm citò quàmque variè corpora nostra immutare, eademque vel in meliorem vel pejorẽ inducere diathesin possit, docet abundè classica Galeni auctoritas *lib. de tuend. valet. c. 15*. Videmus etiam & ex relatione percipimus, singulare aliquod morbi genus, quod ideò endemium vocant, in singularem hanc vel illam orbis regionem ita sævire, ut ab ejus invasione vix decimus quisque incolarum sit immunis, cùm tamen in cæteris terræ plagis inhabitatores eâdem omninò evadant liberi. Porrò quotidiana monstrat experientia, alio sub aëre natos & educatos aliis laborare morbis. Sic olim Galliæ Narbonensi carbo seu carbunculus, bronchocele, rotundus ille gutturis tumor, montibus Sabaudiæ endemii fuerunt morbi, adeò ut vix alibi visi fuerint, vix auditi. Sic scorbutus maris Baltici incolis etiamnum adeò est familiaris, ut vix ullus eo vivat immunis & Borealium regionum inhabitatores nostro hypochondriato malo citiùs ac frequentius corripiuntur aliis calidiorem inhabitantibus, Gallis scil., Italis, aliisque magis australibus. Ratio est in promptu, quia borealis iste aër frigidior, crassior, nebulosior, salsâque aciditate magis inquinatus; ideoque juxta *Fernelium libr. de caus. morb. spiritus turbandi & obscurandi, sanguinem & humores coagulandi & condensandi, & suppresso atque debilitato calore nativo coctionem lædendi, supervacuorumque in ventriculo viscidorum dissolutionem cohibendi aptior est magis pronus*; sicque ad morbi nostri productionem & exaltationem plurimum valere potest. Talismodi aëris dyscrasia nostras quoque non rarò infestat

festat regiones, quando nimirum juxta singulas anni tempestates variè alteratur. Præ reliquis tamen ver & auctumnus accusantur, ac si nebulosâ suâ acido-salinâ diathesi malum hypochondriacum non parum augere & exasperare queant. Nec solùm intra corpus attractus, & per vasa pnevmonica sanguini communicatus noxam infert aër vitiosus; sed extus etiam, quatenus sc. intensè frigidus, malum nostrum augere potest, insinuando sese intra corpus per cutis spiracula, ventriculoque calorem destruendo & pituitam ipsam inspissando. Et insignem illius vim & efficaciam sæpius experimur, si vel à solâ pedum refrigeratione singultꝰ frequentissimos, terribilesque intestinorum dolores incurrimus.

§. 2. Proximum ab Aëre locum sibi vendicat CIBUS ac POTUS, à quibus sanitas corporis humani seu integra conservanda, seu labefactata recuperanda maximam partem dependet. Error tamen non negligendus non rarò in adfectu nostro committitur, si peccent ingesta vel quantitate, vel qualitate. Alimenta in nimiâ ingesta copiâ fermentum stomachale obruunt, ita ut hoc tantæ activitati non sufficiat. Nociva præprimis est esculentorum varietas. Cùm enim cibi non sint ejusdem qualitatis, & teste *Roberto Montano quæst.20.* habeant diversas naturas, facilè colligendum; unum eundemque caloris gradum omnibus sufficere non posse. Contingit igitur, ut quidam celeriùs, quidam tradiùs concoquantur, quidam verò superari vix possint. Hinc mira in ventriculo cruditas & totius concoctionis depravatio, inflationes, tormina, obstructiones. Et quamvis *Plempius de valetud. tuendâ cap.3.* statuat; sanis omnia esse sana, & qualitatem ciborum non esse alicui magnoperè curandam, si sano ille sit corpore, & tale genus cibi naturam ejus non offendat: maximè tamen observandum esse, docet experientia in iis, quibus dissipato calore ventriculus jam tum quasi pituitâ obseptus torpet, fibræque laxiores sunt. Hos enim adsumta ad passionem hypochondriacam facilè disponunt, quatenus scil. aut difficilis sunt coctionis, aut acida & salsa, aut viscida & mucilaginosa, aut flatulenta existunt.

§. 3. Tertiò SOMNUS & VIGILIÆ. Etenim provida mater natura somnum & vigilias concessit, ut secundum præstitutos alternandi terminos his ille intercaletur, sicque se invicem sublevarent,

varent, ne ſcil. ſpiritus animales aut planè exſolvantur, aut ſatis iterum refecti nimiùm obtorpeſcant. Spretâ enim hâc viciſſitudine ſi vel ſomno nimium indulgeamus, vel vigilias nimis longè protendamus, haud diu conceditur, ut ſit mens ſana in corpore ſano. Nam teſte *Hippocrat. 2. Aphoriſm. 32.* ὕπνος, ἀγρυπνίη, ἀμφότερα τῦ μετρίȣ μᾶλλον γινόμενα κακόν. *Somnus & vigiliæ, alterutrum ſi modum exceſſerit, malum.* Somnus immodicus quaſcunque functionis tùm naturalis tùm animalis facultates admodum obtorpeſcere facit, calorem nativum obtundit, & ob denegatam à neceſſario motu inhibito debitam ingeſtorum ſeparationem, multas ſuperfluitates noxias in ventriculo accumulat: immoderatæ contrà vigiliæ diſſipant ſpiritus & calorem, proterunt vires, & potentias animales infirmant, & quaſi effœtas atque effœminatas reddunt. Unde facile eſt colligere, quantum malo noſtro producendo augendoq; utrumque in exceſſu continuatum conferat. Calorem enim nativum abſumunt, ſicq; ventriculum flaccidum, & loco chyli dulcis atq; volatilis μόλυνσιν quandam ſeu maſſam inertem elaborare tum efficiunt: ſpiritus diſſipant, ſicque acrimoniam ſanguini, quam temperabant anteà ſpiritus, inducunt.

§. 4. De Motu & quiete idem fermè ſtatuendum, quod de ſomno & vigiliis. Etenim quemadmodum motu ac moderato corporis exercitio ſanguinis circulum promovemus, ejus vitali fermentationi opitulamur, calorem nativum fovemus & reſtauramus, ſpirituum tàm animalium, quàm vitalium generationem reſuſcitamus & in vigore ſervamus, ſicque & alimentorum fermentationi, diſtributioni & heterogeneorum ſeparationi ſubvenimus: ita à difficili corporis labore calor accenditur, & per ſudorem dimanantem copioſè exhalat, ſpiritus animales defatigantur, & utpote ſummè volatiles plurimùm diſtrahuntur & in confuſionem aguntur. Quare ne exoluti diſpereant animæque hypoſtaſin abrumpant, utique egent fulcimento, nempe quiete, ut à motu feſſi & nonnihil diſtracti ſeſe recolligant & reficiantur. Semper igitur, uti exercitii, ita quietis viciſſitudines debitâ proportione alternare debent. Sin verò è parte contrariâ quieti nimium quantum indulgemus, vitamque ſine omni notabili motione amamus ſedentariam, tardior ſuccedit ſpirituum animalium motus, partiumque

agilio-

agiliorum insensibilis transpiratio, sensibilisque transudatio impeditur, nec motus intestinorum peristalticus sufficienter juvatur, sicque nec viscida in intestinis hærentia excernenda debito modo provocantur. Quæ omnia quantum ad acidiorem sanguinis diathesin prædisponant, quantumque mala nostra adaugere queant, ex superioribus fortè constabit.

§. 5. EXCRETA atque RETENTA quantum sanitati nostræ ferre auxilium aut detrimentum possint, non opus est prolixè recensere. Sufficiat, indicâsse modò, quàm commoda mali hypochondriaci invasionibus præbeatur occasio, si ea, quæ retineri debent, excernantur, & quæ excerni retineantur. Magis tamen in nimis diutinâ excernendorum retentione, quàm in retinendorum excretione malum nostrum versari in propatulo est, cùm omnibus fermè hypochondriacis familiare sit, alvum habere pigram, quæq; utplurimùm non nisi medicamentis solicitata excretioni vacare soleat. Jam verò provida natura pro excernendis superfluitatibus diversa in corpore collocavit emunctoria. Per intestinum rectum sordes ventris terrestriores, per vesicam ichor superfluus è toto corpore educitur: arteriosum genus nocivas superfluitates in fœminis per mensium, in viris per hæmorrhoidum fluxum statis temporibus excludunt, imò per universam corporis cutim, quæ hunc in finem infinitis poris ceu cribrum perforata, subtiliores ac volatiliores excrementorum partes elutriantur. In hisce omnibus si evacuationes subsistunt, variè corpus alteratur variisq; urgetur symptomatibus. Etenim *fæces alvinæ* debito tempore non redditæ coctionem atque digestionem impediunt, caput variis vitiosis vaporibus opplent, dolores etiam acutissimos & distensiones gravativas in sinistro coli anfractu inducunt. Quantas quoq; anomalias in corpore gignat *urinæ secretio* dici vix potest, dum sc. latex serosus sanguini intimius incoctus importunius adhæret, ejusque amplexibus se extricare nequit, ut in omni cacochymiâ accidit; sicque relictis renibus, aliò divertitur, & ob diuturnam retentionem acrior factus, variè coagulare sanguinem, partibusque obstructiones inferre aptus redditur. Nec parum confert *mensium suppressio*; Etenim plus sanguinis, cæteris paribus, fœminis naturâ concessum esse quàm maribus,

ex menstruorum fluxu judicare licet, utpote quorum profluvia ad dies aliquot, sæpè diutiùs continuantur. Sin verò hæc sanguinis redundantia statis temporibus non ritè per uteri vasa evacuatur & stagnat, ad vasa majora & laxiora regurgitat, eaque distendit, & accidentia hypochondriacis non absimilia producit. Idem fermè præstare viris videtur *fluxus hæmorrhoidum:* Qui licet non excrementa lienis aliorumque viscerum seducat atque ejiciat, uti contra imaginarias veterum opiniones anatome ostendit, cùm nulla alia vasorum communio, nullus continuus ductus, quo istuc deportentur, adsit, nisi arteria aorta. Jam verò sanguis in aortâ communis est, nullâque peculiari vitiositate sordet: prætereaque sanguinem per arterias quidem adsportari lieni, nihil verò exinde, sed per venas remeare, ex sanguinis circulatione constat. Nihilominus præcluso quâcunque de causâ exitu si sanguis subsistit inibi & senescere incipit, aut etiam, quod sæpe accidit, ob debitæ ventilationis ac motus defectum quandam quasi putrediñe concipit, vah! quantoperè exagitantur ægri nostri, quantisq; quàmq; dolorificis vasorum distensionibus divexantur usque, donec aperiantur vasa, sicque subleventur patientes. Et quid *de transpiratione tàm sensibili quàm insensibili* dicendum? Notum quippe est, sanguinem non tantùm, ut eò meliùs moveatur, sed & à fibris commodius recipi possit, laticem serosum seu lympham habere admixtam: Quæ deinde, utpote corpori alendo inutilis factâ adsimilatione à fibris segregatur, & per poros beneficio caloris tàm externi quàm interni apertos modò sensibiliter, modò insensibiliter ejaculatur. Quæ ejaculatio ritè procedens, mirum dictu, quantum sublevet hypochondriacos. Hi quippe stragulis sufficienter tecti, satis bellè se habent, poris scil. ob concentratum calorem tùm apertis, serosumque laticem pariter ac vapores collectos sine impedimento transmittentibus. Relicto posteà lecto, concidentibusq; ab aëre ambiente spiraculis, cutis permeabilitas cessat; partiumque serosarum ac fuliginum liberior διαπνοὴ ac transsudatio impeditur, sicque ejusmodi ægri iisdem, quibus anteà solebant, incommodis macerantur & absumuntur. Spectat huc quoque *veneris exercitium*, quod nimis frequenter institutum, calorem dissipando corpus refrigerat, cruditates inducit, &

juxta

juxta *Fuchs. Instit. Med. lib. II. sect. 5. c. 33. omne tàm mentis quàm corporis infringit ac debilitat robur.* Semen verò justo diutius retentum corpus variè premit ac onerat, inque eo gravissima sæpè accidentia, aliundè petenda, excitat. Quæ in fœminis præcipuè excitata eleganti ordine & verbis dignissimis recenset *Charleton Exercit. Pathol. VII.* Spiritus cumprimis, quatenus propter veneris stimulos non sine magnâ animæ corporeæ reluctatione cohibitos diù coërciti & restricti, demum fixiores & melancholici evadunt. *Vid. VVillis de anim. brutor. cap. XI.*

§. 6. ANIMI quoque PATHEMATA, quoties ab adsveto & naturali statu commoventur, varias inducere corpori mutationes, & in malo nostro producendo multùm cooperari, nemo negabit, nisi qui supra stoicam patientiam quasvis adversitates imperturbatus ferre potest. Inter omnes tamen primas tenent *metus* atque *tristitia*; Etenim, ut in horum oppositis, gaudio sc., ac spe, spiritus animales intra cerebrum elati, imaginationes jucundas producunt, nervosumque systema vegetius actuantes statim exindè ad pectus derivantur, ut cordis parenchyma tunc plenius vibret, sanguinem rapidius extrudat, & velut flammam clariùs accensam cum vigore per totum corpus diffundat. Sic in tristitiâ & metu iidem spiritus animales, cerebri incolæ, velut consternati, nesciunt, ut ita loquar, quò aufugiant, eundemque tristem adfectum per nervorum propagines è cerebro descendentes cordi communicant, illudque constringunt, & ad molestiæ consensum concitant. Quod constrictum sanguinem à debito excursu cohibet, spiritusque contentos arctissimè quasi contrahit: sicque facultas animalis quodammodò elanguet, præcordiorum motus fatiscit, acrimonia sanguinis augetur, ipseque sanguis intra cordis sinus stagnans, in coagulum abit, cordisque oppressionem molestam & lipothymiam infert, cumque iste propterea in partes tàm exteriores quàm interiores haud vegetè satis defertur, in istis variæ obstructiones succedunt. Quo ipso animi pathemata veldè favere adfectioni hypochondriacæ liquet, rationibus ex antè dictis petendis.

§. 7. Et hæ sunt causæ adfectus nostri tàm proximiores, quàm remotiores, quas omnes facilè quidem est chartæ transmissas

legere;

legere; difficillimum verò circa grabatos ægrotantium adplicare, aut earundem initiis occurrere. Cùm enim omnium morborum chronicorum ea sit natura, ut tenuia, & quæ vix attentionem mereri videntur, capiant initia, ac paulatim sanguinis massam inficiant; ita tamen, ut principalioribus corporis functionibus vix statim notabile abinde concrescat intertrimentum, accidit sæpenumerò, ut parvi æstimatis neglectisque levibus symptomatibus, à levi atque incipiente vitio oriundis, procrastinatâque semper curatione sanguis tandem ità degeneret à naturali dispositione, ut difficillimum sæpè sit, eundem ad laudabilem crasin reducere, & enervatum in pristinum vigorem restituere. Imò ejusmodi inveteratum malum eludit sæpè quævis adhibita media, & plus valet quâvis arte medicâ. Cumprimis verò ποικιλόμορφος noster adfectus, qui juxta *Claudin. Consult. 110. omnium penè morborũ quoddam seminarium est*, haud rarenter Medicum etiam experientissimum polymorphiâ suâ deludit admodum & angit. Etenim inveteratus paululùm tàm variâ tàmque admirandâ symptomatum stipatur vicissitudine, ut potiori forsitan jure de nostrâ dicatur, quod *Galenus libr. VI. de loc. affect. cap. 5.* scripsit de passione hystericâ; *eam numero quidem unam esse, ast sub se innumera & varia complecti accidentia.* Quorum, si non omnia, certè potiora hîc recensere, atque ut curam dein eò faciliùs superstruamus, causas genuinas pro ingenii viribus addere operæ erit pretium. Quò verò omnem evitemus confusionem, modumque insimul, quò sese invicem progenerent, patefaciamus, ab infimo ventre progrediemur ad summum, & quæ in quolibet deprehendi soleant φαινόμενα ordine recensebimus.

Caput V.

§. I.

In infimo igitur ventre primam & primariam causæ morbificæ latitare scaturiginem supra *Cap. I. §. 10.* ostendimus, & pro generationis subjecto venditavimus ventriculum à relaxatis fibris imbecillem, plurimisque cruditatibus fermè suffocatum. Quod ipsum suo quasi adfirmant calculo pleraque symptomata. Ecquid

quid enim *nausea & continuum vomendi desiderium, imò vomitus ipse*, utpote quæ adfectum nostrum sæpè comitantur, aliud indigitant, quàm debilitatum ventriculum, & depravatum in eo fermentum? Etenim ingesta quælibet à vitiato ventriculi calore non debitè cocta, & à suppresso fermento non ritè contemperata acescunt facilè in ventriculo, sicque fibræ nerveæ, interiorem villosam tunicam constituentes, tincturâ aliquâ acidâ sensim saturantur; hinc propter succi incongruitatem vellicantur aliquatenus, donec in consensum tractis fibris carneis superstratis in spasmos concitentur utræq;, & primò quidem leviores, unde nausea & stomachi perturbatio. Quæ tamen facilè aboleri patientibus creditur, si potulentâ aliquâ ingestâ materiâ diluatur & contemperetur succus iste acidus. Sed palliativa tantùm hæc est cura. Licet enim per potulenta acidum, quod imbiberant fibræ, quodammodò temperetur, sicq; cesset paululùm nausea & vomendi nixus; nondum tamen penitus debellatum est acidum, quod repetit paulò pòst vires, & de novo fibras imbuit, atq; in parem nauseam & irritationem emeticam urget, donec spiritus, fibrarum incolæ, summè irritentur, & contractiones validissimas ob molesti expulsionem subeant; sicque molestum fibris nerveis excussum, vomitu rejiciatur: tantâ sæpius aciditate imprægnatum, ut dentes stupefaciat vomentibus, tantâque mordacitate infestum, ut instar ebullientis ferventisque aceti fauces rodat atque excoriet. Quâ viscidâ acidâque saburrâ vomitu rejectâ furor nauseæ & vomendi conatus quidē lenitur, sed à ciborum ingestione statim recrudescit.

§. 2. *Ructus quoq; tàm copiosos sæpè emittunt hypochondriaci* inter prandendum cumprimis & cœnandum, ut vix liber detur introitus ingerendis cibis. Qui certè, utpotè genuinæ cruditatum soboles imminutum ventriculi calorem, depravatumq; fermentum satis apertè innuunt: dum sc. ob debilitatam coctionem maxima ciborum pars fracescit, & in μόλυνσιν acidam, viscidam, nidorosam &c. degenerat, quæ deinde vi fermentationis facessit in flatus, uti suprâ *cap. II. §. 2. & 3.* fusiùs explicuimus. Neque verò istiusmodi flatus semper ejusmodi sunt qualitatis, sed pro ratione cruditatum in ventriculo alii sunt salsuginosi, alii nidorosi, alii insipidi &c. acidi verò frequentissimi sunt, ratio; quia contenta eâ-

 dem

dem depravatâ qualitate laborant, dum ob debilitatem caloris diutius in ventriculo retenta, insignem plerumque adquirunt sibi acorem. Cujus participes quoque flatus sensum vellicationis ac tensionis, quem viscida illa ac limosa, ventriculos gravans saburra inferebat, cum dolore insigni exasperant, & nervosum ventriculi orificium ferientes, *cardialgiam* producunt molestissimam. Quæ tamen eructatis flatibus cessat plerumque levaturque. Iidem quoque flatus impetuosiùs per amplitudinem coli delati, exituque prohibiti, revolvuntur identidem & in seipsos quasi coguntur: quæ dein revolutio atque reactio *murmura ista ac borborygmos intestinorum* inducit.

§. 3. *Continuus quoque* πτυελισμὸς, *seu crebra sputatio* principii adfectus hypochondriaci comes reperitur inseparabilis, qui itidem certissimus imbecillitatis ventriculi testis est. Quamvis enim obstructionem vasorum, potulentam chyli partem ex ventriculo in lienem deducere creditorum hic non admittam, cùm eorundem existentiam, utpote in meris conjecturis fundatam, curatior anatome facilè destruat: nihilo tamen secius humores in ventriculo corrupti, continuò agitantur, fermentantur & quasi ebulliunt; undè tenuiores illorum particulæ sublimatæ ἀντιπερισταλτικῶς in fauces elevantur & illinc ulterius foràs propelluntur. Nec contradicam ego, si quis adserere velit, per ductus quoque Stenonianos, qui à variis glandulis parotidibus sc. maxillaribus & sublingualibus exorti, ordinario munere salivam propter usus quosdam necessarios eliciunt, superfluos simul istiusmodi humores, crassiores fortassis, quàm ut per sudorem, urinam, aliasque vias à sanguine secernantur, foràs amandari, & in cavitatem oris deponi, *Vid. Helmont. in Medic. inaudit.*

§. 4. Sæpè videmus porrò in hypochondriacis, *statim à pastu faciem rubescere, manuum volas incalescere, ventriculum & hypochondria æstuare, & per totum corpus varias phlogoses succedere.* Causa ex ante dictis petenda. Si enim ob labefactatam ventriculi pariter & fermenti ἐνέργειαν ingesta quælibet acescunt, mirum non est, si aciditas illa præternaturalis, quam per se vi quâdam causticâ affatim scatere, ructus & vomitus ferventissimi commonstrant, à perpetuo fermentationis ac ebullitionis motu magis ex-

can-

candeſcat, moleſtoque ita ardore ventriculum excruciet. Quæ dein in inteſtinum propulſa,& cum bile pinguiore potenter ac vitioſè efferveſcens,idem fermè producit in hypochondriis καῦμα quale liquor quidam ſummè acidus,e.g. ſpiritus vitrioli limaturæ martis,vel etiam oleo tartari deliquato,cumprimis verò oleo terebinthinæ adfuſus excitat. Per lacteas verò demum cum chylo diſtributa,omnem effervefcere & exæſtuare ſanguinis facit maſſam, atque ad concipiendam phlogoſin prædiſponit; quatenus ſcil. diverſa hæcce ſalia pugnam inter ſe ineunt & tumultuoſè ebulliunt. Hinc ſanguis indebitò effervefcens, jam impetuoſiùs agitatur, mox ſtagnare aptus redditur,ſicque variæ corpori imprimuntur inordinationes.

§. 5. *Mirâ quoque alvi pigritiâ ac ſtypticitate* vexantur ægri, adeò,ut quæ provida mater,natura,ſponte in vegetis per ſeceſſus quotidiè deponit, illa,licet ob acrimoniam vellicantem continuo quaſi teneſmo ſeu deſidendi cupiditate urgeantur, vix tamen quarto vel quinto quovis die hypochondriaci cum difficultate excludant. Nec aliter ſe res habere poteſt. Ventriculus enim ſi tardè ſuum exſequitur officium; venter quoque difficulter ſuum ſolvit tributum, dum excernenda ob diuturniorem in ventriculo morâ viſcidiora facta, fiſtulæ inteſtinali tenacius adhærent. Quæ dein interventu flatuum ſuſpenduntur quaſi & exſiccantur,atque ab æſtu porrò,qui vitiatam cum ſucco acido & copioſiore bile effervefcentiam comitatur, omnemque, quâ ſecundum naturam & fæces lubricari & prolui debebant inteſtinorum parietes, abſorbet atq; depaſcit humiditatem, indurantur magis & compinguntur, ut facilè ſubſiſtant in cellulis coli, atque ob molem ſuam atq; tenacitatem neque motu illo inteſtinorum naturali, neque compreſſione à partibus vicinis facilè promoveri queant. Nec fortè citra rationem faceremus, ſi ad mentem *Williſii* in alvi hâc tarditate præſupponeremus aliquid convulſivi; quòd ſcil.ob communicatum nervoſo generi acidum,illud pro moleſti excuſſione ſpaſmodicos hinc inde & convulſivos ſubeat motus, fibrasque hâc ratione prohibeat à depoſitione excernendorum. Sin verò vel ſpontaneo motu,vel injectis clyſteribus expurgentur demum,inuſitatis plerumq; conſpicienda veniunt coloribus: pars ad atre-

dinem, pars ad viriditatem vergit &c. Hinc ſtatim ad melancholiam ſeu atram bilem recurrunt vulgò quidam, eamq; pro cauſâ venditant tincturæ hujus. Verùm ſi de loco ac modo generationis interrogantur, hæret aqua; cùm ficticiam in liene & renibus ſuccenturiatis ſedem jampridem deſtructam videant. Saniori igitur judicio rem agere videntur, qui defendunt, vitriolicam potius aciditatem, vel ex ventriculo, vel ex pancreate promanantem, eſſe in culpâ, quæ ſc. bilioſos figendo ſales, ſeceſſus nigredinis reddat participes. Quamvis non negem, à continuato chalybeatorum uſurpatione fæculentias, vel ἄνω vel κάτω rejiciendas, eâdem non rarò imprægnari tincturâ.

§. 6. Variis quoque iisque dictu horrendis excruciantur hypochondriaci *abdominis doloribus*, qui pro varietate cauſarū variant; modò fixi, modò vagi; modò tenſivi, modò cum gravitatis modò cum contorſionis ſenſu; modò cum algore, modò cum æſtu percipiuntur. Hic *fixus* ſub coſtis nothis *cum quodam gravitatis & ponderis ſenſu*, ferè ſemper à ſcybalis in inteſtino colo concentratis oritur; licet non rarò à ſcirrho vel lienis, vel partis alius propè adjacentis obtuſos taliſmodi ac ponderoſos dolores obſervârint Practici. Hinc dicimus; *ferè ſemper:* idque probamus, quòd alvi obſtructiones ſecum ducat contumaciſſimas; alvo verò reſeratâ dolor leniatur. Quæ res aliter ſe habere ſolet in ſcirrhoſis. Qui verò cum *continuâ, eâque fixâ lancinatione, & quâdam quaſi perterebratione* adfligit, à ponticâ acidâq; pituitâ, coli cellulis tenacius impactâ oritur. Quam, ſi cum ſucco pancreatico valdè acido & acri effervescat, *dolores cum frigore gravi moleſtos* progenerare docet *Sylvius in Praxi cap. XIV.* eâdem fermè ratione, quâ ſpiritus vitrioli ſali volatili cuivis, non tamen oleoſo adfuſus effervescentiam excitat cum notabili algore ac frigore copulatam. Sæpè urget quoque *quidam contorſionis ſenſus valdè moleſtus*, qui ſi gravior, per totum abdomen ſucceſſivè, & hinc ad lumbos detorquetur, & ſæpè nephriticas mentitur paſſiones; quin & in mulieribus ſimiles paſſiones, ac ſi fœtus excludendus foret, inducit. Quem nonnulli ab inflatione inteſtini coli, ligamenta illa, quibus dorſo adfixum cum reliquis tenetur, ultra debitum ſimul diſtendentis, derivant. Quod quidem non planè negamus; ſæ-

pius

pius tamen respiciendos quoque esse arbitror nervos adfectos, quando sc. par vagum & intercostale de aciditate hâc imbiberunt aliquid, ob heterogeneitatem verò adsimilare illud non possunt, hincque ob molesti expulsionem spasmos sibi inducunt & contorsiones, facileq; varias abdominis partes ratione communicatorum invicem plexuum in consensum trahunt. *Fixum* aliquando sede flatus quoq; mentitur quidem, sed prodit agendo. Vel enim tumorem urget, vel tenorem non retinet, *Linden. Melet. Medic. Hippocr. p. 273.* Qui igitur *vagi* cum exquisito distensionis punctionis ac lacerationis sensu, continuoque sonitu ac murmure modò cessant, moxque recurrunt dolores potiùs à flatibus dependent, hinc inde per intestina impetuosiùs delatis. Hæ distensiones ac lancinationes non rarò cum notabili ac permanente sub hypochondrio sinistro duritie subsistunt, & tunc lieni obstructo & in exquisitam molem extenso adscribuntur. Sed perperàm non rarò, & præter omnem rationem solidam; cùm non in parte anteriore sinistri lateris situm suum habeat lien, sed in posticâ circa renem sinistrum costis spuriis incumbens. Potius igitur à flatibus in hypochondrio sinistro stabulantibus, exituque prohibitis acceptus ferendus iste tumor, uti hoc probat *Sylvius in Praxi lib. 1. cap. XIV. §. 57.* exemplo viri cujusdam quinquagenarii tumorem prægrandem, durum & brachium æquantem circa loca illa ex flatibus passi. Videmus insuper quotidianâ experientiâ, flatus per inferiora emissos tumorem levare, manuque sinistro lateri admotâ fortiter, cessare dolorem quadantenus, qui magis omninò augeretur, si à liene tumor esset. Rarius demum *tensivi & cum sensibili ardore fixi* infestant dolores, quos sanguinis in vasis partium capillaribus stagnanti, aut iisdem post distensionem summam ruptis effuso & inflammationem parienti adscribit *Sylvius in Prax. libr. I. cap. XIV. §. 17.* Tunc verò accedit manifesta circa partem adfectam pulsatio; cujus ratione à præcedentibus speciebus commodè potest distingui. Sæpius etiam in quibusdam corporis partibus *dolor* percipitur *formicans*, qui sensum quasi rei cujusdam viventis parti præbet, qualis sentitur crure cruri imposito, aliâve quâ ratione stupefacto. Hic ab inordinatione spirituum dependet, qui à compressione nervorum aut alio quopiam

 vio-

violento prohibiti ad tempus à motu ordinario, impetuosius in partem redeunt. Similis non raro est in cutis superficie ab acri, subtili, ferventique vapore, ad ambitum corporis delato, exituq; ob impeditam transpirationem prohibito, partesque sensiles pungente. Vid. *Linden. Melet. Med. Hippocr. p. 273.*

§ 7. Tandem *urinam* hypochondriaci *variam*, modò crassam, modò tenuem; modò claram, modò turbidam; modò pallidam, modò intensè rubram; nunc in minori, nunc in majori quantitate excernunt, prout scil. cruditates in ventriculo augentur vel minuuntur, coctiones in visceribus depravantur, salia plus minusve funduntur aut concentrantur, exaltantur aut figuntur; serosusque ita latex à cruore facilius vel difficilius expurgatur.

§. 8. Et hæc sunt præcipua infimi ventris accidentia: medio in ventre suam quoque excitat tragœdiam, præcordia variè infestando, pectorisque coarctatione pulmonum in respiratione perficiendâ usum inhibendo. Præ reliquis frequens est παλμὸς seu *palpitatio cordis*. Hujus multæ in malo nostro existunt causæ. Tantum enim abest, ut negare ausim, hanc à vaporibus acrioribus, à vitiatâ fermentatione oriundis, vel unà cum chylo per venas lacteas, vel etiam à sanguine flatulento cordi transmissis, illudque ad contractionem irritantibus oriri posse; ut potius ita evenire non raro firmiter mihi persvaserim. Sæpiùs tamen eandem dependere arbitror à sanguinis & seri potentiâ corrosivâ, cor ad motum inordinatum disponente; vel à grumis etiam sanguinis, in propulsionis nisu cordi negotium facessentibus. Sæpissimè tamen omnium spasmodica esse potest cardiaca hypochondriacorum palpitatio; quatenus in illis nervi cardiaci materiâ heterogeneâ facilè obsideri solent. Quare in expulsione molesti spasmos ineunt & contractiones inordinatas; & spasmodicè ita adfecti fibras quoque arteriarum cardiacarum, quarum radicibus inseruntur, in consensum trahunt, & simul convellunt; sicque spiritus animales ipsorum nervorum fibrarumque appendicum hospites inordinatè explosi totam cordis compagem immaniter succuti & loco moveri cogunt.

§. 9. Quibus præcognitis facilius nunc demonstrari poterit, qua ratione etiam patientibus immineat *animi deliquia*, & non

raro

rarò ſuccedant graviſſima.' Scilicet cordis actiones ſiſtuntur aut impediuntur, quibus neglectis reliquæ functiones facilè collabaſcunt vel ſupprimuntur. Impeditur verò cordis actio ob ſpirituum, qui motui ejus inſerviunt, influentiam à cerebro non ſufficientem, & tunc anxietates circa præcordia imminent: ſiſtitur verò ob penitùs denegatam; & tunc laborantes aliquamdiu immoti & inſenſiles cum pulſu & reſpiratione diminutis jacent. Quam hypotheſin noſtram experimento anatomico, ligatis ſcil. in cane vivo paris octavi nervorum truncis, confirmat *Williſius de morb. convulſ.* & *l. de an. brut. p. 333.* Quamquam & talismodi anxietates animique deliquia produci quoque credimus ab impeditâ ſanguinis efferveſcentiâ vel fermentatione, quæ vitiatur, quoties in maſſâ ſanguineâ prædominatur aciditas quædam, quæ obruat particulas ſulphureas, & figat quaſi in fluorem evehendas. Hinc ſanguis acidior factus, multisque ſalſuginoſis fæculentiis refertus, velut ellychnii oleum ſale ac ſordibus limoſis imbutum non niſi inæqualiter ac interruptè accenditur. Quare hinc pulſus irregularis cum ſpiritum vitalium crebro deliquio cietur.

§. 10. Accedit porrò *pectoris anguſtia* cum *reſpiratione difficili.* Cuj9 cauſam à viſceribus imi ventris inflatis aut tumefactis, proindeque ſeptum transverſum comprimentibus vulgò duducunt; non aliter ac in gravidis & hydropicis fieri adſolet. At verò licet præcordia hunc in modum non rarò anguſtentur, ut patientes altius hauriri ſpiritum non poſſint, quin mediâ quaſi in viâ inſpiratio ſiſtatur; nihilominùs tamen ſunt, queis pectus ita anguſtatur, ut in imum ſubſidere videatur, ac quaſi cor ipſum in ventrem usque deprimatur; ſicq; inſpiratio nimis profundè ducatur, exſpiratio contra ægra atq; difficilis evadat. Quale exemplum habet *Willis in Pathol. Cerebr. p. 201.* & ſimile vidit *Dn. D. Præſes* in viro primario, aſthmate demortuo, ubi cor penitus quaſi ad diaphragma detruſum, adnatis ſimul & ſero purulento ſcatentibus pulmonibus videbatur. Quod certè à viſceribus, diaphragmate inferioribus fieri minimè videtur probabile. Quapropter *Willis cit. loco* de pectoris anguſtiâ & ſubſidentiâ cordis ſtatuit; *fibras nerveas, cordi & inprimis pericardio inſertas, in ſpmaſmos & corrugationes adactas, partes iſtas conſtringere ac deorſum convellere.*

Liceat

Liceat igitur idem opinari de respiratione læsâ; nervos scil. seu εἰσπνοὴν seu ἐκπνοὴν perficientes, copulam aliquam heterogeneam & spasmodicam contraxisse, ejusque elidendæ gratiâ in explosiones cieri, & motus convulsivos inire, proindeque pulmones cum laboriosis & crebrius repetitis modò systoles, modò diastoles vicibus, paroxysmis quasi asthmaticis detineri.

§. 11. Tandem summum quoque ventrem seu animæ rationalis templum sæpè obscurat passio hæc nostra. Mox enim nimiis vigiliis macerat corpus, aut saltem somnum interrumpit, mox vertigine ac scotomiâ caput quasi circumagit, mox phantasiam perturbat. Ex quibus iterum patet, ex vitiositate sanguinis regimini animali labem esse illatam, suffusis sc. particulis heterogeneis & spasmodicis in cerebrum & nervosum genus; ita ut spiritus, in utrâque provinciâ degentes, varias anomalias concipiant. *Vigiliæ* enim à nullâ aliâ deduci causâ melius possunt, quàm à spiritibus acrioribus, procedentibus à sanguinis eos gignentis, & succi nervosi, eos foventis dyscrasiis acidis & sæpè vitriolicis. Hinc placet *Willisii* sententiam adducere, quam fovet *libr. de anim. brut. p.m. 322. &c. Spiritus*, dicens. *efferos & coërceri inhabiles recusare sedari à somno; & intra cerebri meditullia tumultuantes, phantasmata mille & sæpè horrenda concitare, quibus somnus arceatur. Et licet*, pergit, *uno in loco cohibiti, mox in aliis tumultuantur, magnasque inordinationes cient, quæ somnum licet optatò ingruentem, continuò abigunt & abrumpunt.*

§. 12. *Vertigo* seu *scotomia*, seu uno verbo *scotodinos*, quando sc. res conspectæ simul circumvolvi videntur, & sensus visus repentè obscuratur, & ægrotus sibi tenebras circumfundi opinatur *Hippocr. libr. 4. aphor. 17.* non tàm à fuliginosis vaporibus aut flatibus ad caput è ventriculo adscendentibus, quàm iterum à malâ spirituum animalium constitutione pendere videtur, quatenus scil. particulæ quædam efferæ & indomitæ spiritibus concopulantur, eosque inordinatè commovent ac velut in motus tornatiles circumagunt, ut ita debita in nervos opticos irradiatio non succedat, sicque cum visibilium rotatione scotomiæ ac functionis motivæ deliquia ac vacillationes sequantur.

§. 13. Idem fermè statuendum de *phantasiâ* perturbatâ, quando sc.

do scil. variarum cogitationum mole tentantur ægri, res omnes ac personas suspectas habent, & objecta quævis valdè pertimescunt. Sic sunt, quibus tota anima sensitiva debito exilior, & quasi corpori impar facta videtur, adeò ut se nec ambulare nec stare posse credentes, lecto semper adfigi gaudeant, exsurgere omninò recusent, cùm tamen nulla evidens causa impediat, quin sua munia satis exsequi valeant. Horum inquam omnium causas facilè intelliget, qui τὰς ῥοπὰς καὶ ἀταξίας spirituum animalium adverterit. Vid. interim suprà laudatus *Willis. de A. B. p. m. 446.* ubi has spirituum inordinationes satis ingeniosè exponit (1.) simili quodã à vitro microscopico desumto, & (2.) exemplo tristitiâ adfecti.

CAPUT VI.

§ 1.

Ex quibus omnibus elucescit satis, partem corporis vix ullam esse, in quam virus suum non evomat nimia ex vitiato ventriculi fermento aciditas, vix ullam animæ potestatem, cui non insidietur. Nihilominus tamen non omnibus & singulis hypochondriacis omnia & singula æque sunt communia symptomata, sed quædam in his, alia in illis; in istis plura, in aliis pauciora; in quibusdam graviora, in quibusdam verò leviora deprehenduntur, prout scil. sanguinis dyscrasia & depravata spirituum diathesis ἀκμὴν suam atque fastigium sunt adeptæ.

§. 2. Dein quoad sexum quoque quædam est differentia. Mares enim promptiùs in hoc malum labi, quàm fœminas & ratio & experientia probat. Lunare quippe in fœminis tributum unà cum sanguine dyscrasiam quoque vitiatam deponit, sicque multas in corpore nostro ἀταξίας inhibet. Quod si verò menstrua non ritè succedant, sicque quod extraneum & incongruum est à massâ sanguineâ in totum non eliminetur, quin superstes maneat, quod pro datâ occasione fomitem malo nostro largiri possit, longè gravius adfliguntur fœminæ, quàm mares. Hæ quippe uberiorem non solùm materiæ morbificæ copiam congerunt, utpote quarum sanguis ob ventilationis defectum à vitâ sedentariâ, quam plerumque degunt, impurior evadit: sed in hoc insuper

ſexu ſanguinem particulis heterogeneis & fermentativis originaliter quaſi ſcatere videtur exindè, quòd menſtruorum fluxu ſæpè expurgari oporteat. Præterea animal illud in animali, uti *Plato* ſatis ingenioſè uterum adpellitat, malum non parùm auget, dum ſcil. uterina adfectio ſæpè ſupervenit aut conjungitur, quæ fœminas per ſe in maximas ſanguinis ſpirituumque inordinationes adigit, plurimisque adfectibus convulſivis tentat.

§. 3. Ætatis quoque ratione ægritudines hæ differunt, & plus hanc, quàm illam adfligunt. Cumprimis verò ἡλικίαν πρὸς ἀκμὴν καὶ τοὺς ἀκμάζοντας huic malo ſubjici teſtis eſt *Aretæus libr. 1. diuturn. c. 5.* & quotidiana docet experientia. Licet enim in juvenibus ex diſtenſione ventriculi, ex phlogoſi poſt paſtum, ex crebriore ſputatione malum imminere videamus: particulæ tamen ſanguinis ſalinæ ſpiritu ſuo ac ſulphure nondum penitùs deſtituuntur, aut fluorem adipiſcuntur, i.e. nondum aceſcunt nimiùm & in corroſivam materiam acuuntur; ſicque mitius adparet morbi initium, in primis adhuc viis præcipuè latitans. Finitâ vero juventute, ætateque virili adpropinquante à triginta circiter vel triginta quinque annis ſe manifeſtare ſolent graviora ſymptomata, prout ſcil. ſanguis à naturali ac balſamicâ dulcedine in corroſivum & vitriolicum plus minus degeneravit. *Et hunc morbi vigorem tamdiu durare, donec ſanguinis fervor aliquatenus diminuatur, id quod in quibusdam citius, in nonnullis tardius, in aliis nunquam fieri; proptereàque poſt 50. circiter annos adfectum hunc in plurimis mitigari, & in ſenectute poſtmodum in quibusdam ex toto remittere, in quibusdam verò* συναποθνήσκειν docet multâ experientiâ edoctus *Paulus Zachias d. Adf. Hypoch. p. 81.*

§. 4. Hinc facilè concludere licet, quid de PROGNOSTICIS judicandum. Quoniam enim adfectus noſter levia ſemper & vix perceptibilia ſortitur initia, ſenſimq; ſibi ac ſenſim ſua adquirit augmina, ideòque non ſtatim patientibus lethalis evadit; facilè patet, in principio & primis quaſi ejus rudimentis, ſi ſcil. materia peccans in primis adhuc hæret viis, labesque maſſæ ſanguineæ ferè tantùm incluſa, curationem perfectam eum admittere. Sin verò altius progreſſa adfectio regimini animali labem adfricârit, ibidemq; pathemata ſpaſmodica produxerit, lon-

gioris res est curationis. Ratio, quia præcipua medicinæ opera symptomata maximè urgentia mitigando, eorumque incrementa supprimendo tunc impenditur; causæ vero morbificæ remotio atque eradicatio negligitur. Ut ita verissimum evadat, quod de confirmato hoc adfectu & syndrome multifariorum constipato symptomatum *Montanus Consil. 230.* scriptum reliquit: *In curatione hujus morbi, non licere præfinire tempus mensis unius aut anni, sicut in aliis contingat, sed oportere in toto vitæ suæ tempore curationi operam dare; interdum curationi, interdum præservationi attendendo.*

CAPUT VII.

§. 1.

HIs ad cognitionem adfectionis hypochondriacæ quæ facere videbantur pro instituti ratione præmissis, restat, in ea animum devolvere, quæ *methodum therapevticam* contra illam adhibendam patefaciant. Materia vero auxiliorum ex triplici fonte, *Chirurgico* scil. *Pharmaceutico* & *Diætetico* est petenda.

§. 2. Ex CHIRURGICO (1) VENÆSECTIO est, quæ an conveniat malo nostro, merito dubitari potest. Nimium quidem sibi arrogant *Erasistratus* ejusque Discipuli αἱμοφόβοι, & post eum *Helmontius*, dum V. S. tanquam nihil profuturam è scholâ medicâ penitùs proscribunt, & tanquam difficillimum & perniciosissimum quid planè condemnant: si tamen quas addunt rationes rectè pensitemus, opinio certè eorum non planè de nihilo videtur. Scilicet; *in sanguine latitare balsamum vitæ, calorem sc. nativum & spiritus, utpote qui morbum vincere, materiamq; efficientem dissolvere & ejicere deberent; sanguinis verò missione bonam partem absumi & dissipari.* Et certè si veterum protervіæ inniti vellemus, quâ sanguinem mittebant usque ad animi deliquium; aut Gallorum seu Italorum audaciam imitari, quâ sæpiùs & copiosè de die sanguinem profundunt; satiùs omninò esset, retinere sanguinem, ejusque vitium alterantibus tentare, quàm spontaneo nisu vitæ periculum incurrere. Nec admittendus heic est scopus V. S. quem anilis barbitonsorum imaginatio sibi præfigit, dum hâc via sanguinem duntaxat vitiosum evacuare conantur,

 tur,

tur, ideoque erumpentem non prius sistere volunt, quàm pravo omni egresso succedat laudabilis. Quasi verò massa sanguinea, peculiari prudentiâ mota impuras tantùm sui particulas emandet; aut vitium in hâc vel illâ solùm sanguinis parte latitet. Intentio quidem est optima, effectus verò nullius valoris. Sanè animam sæpenumerò cum sanguine emittendam esse, si omnis sanguis corruptus beneficio dicam an maleficio V.S. evacuari deberet, affatim declarat sanguinis circulatio, in quâ si quid sanguinis detractum fuerit, loco emissi statim succedit alius. Genuinus igitur V.S. usus potiùs est imminutio sanguinis, quò nimirum depletis aliquantulum vasis liberiorem sanguini motum conciliemus; sicque ille fervidus ac supra modum fermentescens quodammodò refrigeretur atque eventiletur, medicamentisque idoneis facilius ita alteretur atque emendetur. Et hinc tantum abest, ut V.S. in genere cum *Helmontio* aliisque penitus repudiemus ut potiùs prælaudatum in finem pro subjecti & aliarum circumstantiarum ratione eandem, paucâ tamen subindè quantitate, in adfectu nostro magnoperè commendemus, eamque, cumprimis si plethora indicaverit, bonitate insigni & felici successu non destitui ex quotidianis Practicorum observationibus erudimur, dum sc. hâc tempestivè factâ evacuatione tùm spirituum efferationes supprimuntur, tùm insuper sanguinis, siquidem in illius, qui acris & corrosivus est, detracti locum novus & mitior redit, dyscrasiæ emendantur. Omnis tamen exulet circa venam eligendam solicitudo, utpote quæ falsis revulsionis ac derivationis nititur hypothesibus, *vid. Aurel. Severinus in castigatâ scilophlebotome*, & ex lege circulationis nulla est: cùm juxta *Botall. l. de curat. morb. per V.S. plus intersit, quantum detrahamus, quàm undè?* Præferimus tamen reliquis hæmorrhoidalium apertionem, in iis præsertim, quibus fluere consueverunt ante non sine levamine; vel saltim sanguinis ex iisdem hirudinum suctu detractionem. Monemus tamen cum *Botallo p. 321.* in malo nostrò purgationem tam ἄνω quàm κάτω semper præmittendam esse, ne ex humorum vitiosorum colluvie, quæ in ventriculo & intestinis latet, chylus quoque pravam diathesin adsciscat, sicque depravatus in venas, unde detractus est sanguis, rapiatur.

§. 3. FONTANELLAS, ut in omnibus morbis chronicis, ita & in hoc nostro miris extollit laudibus *Claudinus Consult. 35.* Et certè qui solum nomen pensitat impositum, dum quasi per fontem morbi hâc ratione exhauriri credantur, ille pro divino easdem habebit auxilio. Quód verò effectum semper præstent debitum, negant quotidianæ observationes, negat etiam *Helmontius tract. de cauteriis.* Quamvis *tract. de tussi* non omni penitùs illas carere usu adfirmet; non sanè quòd ex vulgi opinione descendentem catarrhi materiam evacuent, aliò divertant, diducant aut trahant, sed quatenus totalem massam minuant tàm laticis, quàm cruoris alimentarii. Patet igitur malum hypochondriacum per illas successu temporis posse quidem minui, radicem verò ejus non extirpari.

§. 4. Quare ad PHARMACIAM potius transeamus, visuri, num ex hujus fonte certiora pro debellando nostro malo depromi queant auxilia, quorum certè egregiam reperimus farraginem. Quò verò eò felicius malum eliminemus, non planè sine methodo therapeiam nostram aggrediemur, sed potius allaborabimus, ut (α) *ante omnia causa morbifica evacuetur, sicque simul curationis impedimenta tollantur*; (β) *ut depravata sanguinis diathesis corrigatur, & debita crasis restituatur*; (γ) *ut spirituum enormitates & ἀταξίαι emendentur, cerebrumque & illius appendices corroborentur.* Cum verò focus mali nostri in primis viis latitet plerumque, fomitemq; exindè sanguini communicet & nervoso generi: cumprimis verò ventriculus plurimâ lentæ materiæ saburrâ scateat, quæ ipsius tonum debito laxiorem reddit, fermentumque insitum obtundit, ut neque cibi neq; medicamenta etiam propinata legitimè solvi ac digeri queant: removenda hæc sunt obstacula & liberandæ viæ vel per *vomitum*, vel per *secessum.*

§. 5. Quantum verò malorum præsentium tollat aut imminentium arceat maturo datum consilio EMETICUM, docet *Schwalb. in disq. therapeut. p. 73.* adeò ut *nisi prorsus occisa res sit, removere* dicat *vomitum mala, quæ aliis mediis ne hilum cedant.* Adstipulatur *Willis*, qui *in Pharmac. rat. p. 56.* statuit; *evacuationem per vomitum in nonnullis adfectibus plus prodesse, quàm purgationem decies repetitam, hâcque*, pergit, *ratione viscitatem ponticam,*

 stomachi

stomachi plicis firmius impactam, quam cathartica quævis prætérlabantur facilè, veluti scopis purgari; insuperque addit, *partes vicinas, pancreas, mesenterium, lienem ipsumque jecur concussione validâ commoveri, adeò ut obstructiones in iis factæ, etiam sanguinis & humorum stagnationes quæcunque hoc remedii genere facillimè removeantur*. Interim non indiscriminatim omnibus propinari debent emetica. Sunt enim quidam tenerioris constitutionis & spiritus habent facilè dissipabiles & exsolubiles; sunt & qui ægerrimè ferunt vomitum, & perdifficulter evomunt; inceptâ vero semel vomitione, creberrimo nixu non rarò usque ad animi deliquia tentantur. In utrisque cautè procedendum circa exhibibitionem emetici. Sin vero habitus athleticus & ad vomitum proclivitas adsit, non sine εὐφορία propinantur sequentia, v. g. *Asarum*, ⊖⊕*li*, *Crocus metallorum*, ☿*rius vitæ* & ejus varia præparata, *Vitrum* ♁*ii &c.* cumprimis infusa antimonialia apud modernos frequentissimi usus sunt. Præ reliquis tamen omnibus laudatur ♀*rus emeticus Mynf.* ad gr. ij. vel iij. cum saccharo vel alio quopiam pro lubitu mistus, & in convenienti vehiculo exhibitus; It. ejusdem *extractum Emeticum specif.* ad ℈j. in liquore convenienti, vel formâ pilulari; It. *sirupus emeticus Angeli Salæ* ad ℥ß. in vehiculo adpropriato. Mire effertur etiam sapa vomitoria Sylvii, ex vitro ♁nii parata, it. *Willisii infusio Croci metallorum*, ▽ *benedicta Rulandi it.* ▽ *vomit. Plateri* ad ℥ß. vel j. e.g.

℞. ♀*ri emet. Mynf.* g. iij. ⊖*cochlear.* ℈ß. M. F. pulvis.

℞. ▽ *vomit. Plateri* ℥ß. *oxysacchar. emet. Salæ* ʒij,
M. F. Haustus.

℞. ▽. *benedict. Ruland.* ʒvj.
℞æ *corall.* ℈ß. *sir. emet. Salæ* ℥ß. M. F. haustus.

℞. *Croc. metall. vel vitri* ♁*ii* g. iv. vel vj. infunde ℥j. vini Rhenani, stent in digestione per noctem S. Brechwein. Bene tamen observetur, ut infusiones istiusmodi adcuratè per chartam emporeticam filtrentur, ne si quid de substantiâ infusi pertranseat, haustumque intestinis adhæreat, tormina ac hypercatharses enormes excitentur. Cavendum etiam semper, ne in dosi peccemus. Quò enim plures medicamenti particulæ, eò plures imbuentur fibræ,

& hinc

& hinc eò immaniores succedat vomitus. Et quoniam in ægris nostris jam tum peccat acidum stimulans, facile ab emetico irritari humores possunt, ut acrimoniâ suâ fibras nimiùm lacessant. Hinc medicus, hæc præcavens, sæpè emetico superaddit demulcens quoddam & roborans medicamentum, v. g. ▽ *cinam.* vel *simpl.* vel cum *anodyno* mistam, it. *essent. theriacal.* &c. quo si ultra votum operetur, nimius impetus sisti & inhiberi queat. Sin vomendi difficultas aut ineptitudo priore experientiâ sit in aliquibus nota, consultum erit, abstinere penitùs in illis ab hujusmodi pharmaciâ, hujusque potius loco catharticum aliquod blandius sub quâcunque formâ propinare.

§. 6. In PURGANTIBUS verò consistit gloria Medici, & ægroti salus. Si igitur in quovis morbo Medicus debet esse cautus, ne in purgationis excessum committat, dosin negligendo, vel alias necessarias circumstantias non attendendo, certè in hoc nostro, cui curando fortiora non magis apta sunt, quam oleum restinguendo incendio. Facilè enim exasperantur humores, & malum inde crudelius adfligit, imò *in mali causam degenerat remedium. Highmorus p. 125.* Blandè igitur & leniter hypochondriacos esse tractandos, non violenter, docet *Galenus l. 3. de loc. affect. c. 7.* Quanquam lenis ista purgatio posteà juxta patientis tolerantiam aut crebrius repeti, aut augeri etiam, & juxta primæ doseos successum proportionari non incongruè possit. Semper interim fortiora, utpote *claterium, helleborus, esula, colocynthis, euphorbium* & *diagrydiata* quævis vitentur primò, & temperatiora solùm è *sennâ, rhabarbaro, gialapio* & aliis, quæ sanguinem non exagitant, exhibeantur, nisi quis loco stimuli tantùm in minori dosi aliquod velit superaddere. Quæ etiam omnia ex observatione Practicorum felicius operantur in formâ liquidâ, quàm solidâ propinata, ob humorum crassitiem, quam attenuare melius & diluere creduntur. Atque in hunc finem sub formâ potionis vel haustus eadem tutò & convenienter porrigi possunt, e. g.

℞. *fol. Senn. s. st. rhab. elect.* ã. ʒj.
rad. polypod. ℥ß. *santal. citr.* ʒß.
infunde in *vini albi optimi* & ▽ *fumar.* ã. ℥ij.
adde ⊖ *absinth. crem.* ♀ri ã. ℈ß. stent per ♁ in loco tepido,

mane

mane in expressione solvatur *sir. rос. sol.* ℥j. adde
▽ *cinam.* ʒij. M. F. Haustus.

Vel ℞. *rad.* 5. *aperient. mechoac. alb.* ā. ʒj.
herb. cap. ♀*ris* mß. *fol. senn. Alex.* ℥ß.
sem. coriandr. ℈j. coq. in s. q. ▽ *fumar.*

Colat. ℞. ℥ij. adde *sir. de cich. c. rbab.* ℥j. S. Laxiertranck uff
1 mahl.

Quod si formam potionis æger aversetur, & pilulis magis dele-ctetur, mitiora quoque eligenda, e. g. ex M P. ♀*rear. Querc. de ammoniaco ejusdem*; *de hierâ c. agarico*; *angelic.* s. *Francofurtensis*, it. *extract. absinth. Panchym. Crollii* ad ℈j. c. s. q. *elixir. propriet.* s. *essent. menth.* parari possunt pilulæ, conspergendæ vel *oleo*, vel *pulv. cinam. macis* &c. Quæ ipsæ etiam acui possunt pro lubitu c. grano uno vel altero *resinæ gialapp.* &c. Ob sedandos intestinorum dolores non incongruè subinde addi potest g̃. j. vel ij. *laudani opiati*. Defectus interim liquoris jusculo superhausto compensari poterit. Electuaria quoque lenitiva hîc non rarò præscribuntur v. g. *elect. diasenn. diaturbith. c. rhabarb. hieræ c. agarico*, aliaque quæ exstant in officinis laxativa ad ʒij. ℥ß. c. stimulante quopiam & sirupo adpropriato v. g.

℞. *elect. diasenn.* ℥ß. *crem.* ♀*ri* ʒß.
♁*nii diaph.* g̃. iv. *res. gial.* g̃. iij.
cum *sir. sambuc.* q. s. F. l. a. Bolus.

Vel ℞. *pulpæ pass. tamarind.* ā. ʒj. subigantur c. *cryst all,* ♀*ri*, & acuentur c. aliquot granis *extr. helleb. nigri* in ▽ *cinam.* soluti c. s. q. *sir. de pomis laxativi*, F. Bolus. Præ reliquis tamen commendatur *Electuarium lenit. Burrhi* quantitate nucis jugland. plus minus juxta operationis successum sumendum. quod sine omni lancinatione & vix perceptibili vellicatione humoribus fermentationem tantùm mitem præstet, cum sufficienti tamen evacuatione.

§. 7. Clysteres etiam usum in nostro adfectu præbent non exiguum; adeò ut *Hercules Saxonia* non vereatur adfirmare, se vel desperatos hypochondriacos solâ enematum adplicatione in integrum restituisse, vid. *libr. I. Praxeos cap. 16.* Parantur verò clysmata plerumq; ex speciebus emollientibus, non rarò

& car-

& carminativis adjectis subinde vel lenientibus, vel abstergentibus, vel stimulantibus. Sic

℞. *rad. malv. alth. lil. alb.* ã. ℥j.
herb. violar. cuscut. fumar. ã. mj.
summit. melilot. cent. min. ã. mß.
fl. chamaem. samb. alth. ã. p. iij.
sem. anis. foeni graec. lini ã. ℥j.
Coq. in s. q. *seri lactis*. Colat. ℞. ℔ß. ℥x. ℔j.
adde *elect. bened. laxativ.* ℥iß. 🜔 *lini* ℥ij. F. l. a. Clyster.

Clyster hic pro ratione successus cum ℥ß. 🜔 *diacolocynth. Quercet.* vel c. ʒß. *trochisc. alhandal*, aut 🜄 *benedict. Rulandi*, it. cum *croco metall.* in petiâ ligat. c. *extracto esulae, helleb. nigri* &c. potest acui. Quod si verò compactiora stercora his & similibus non cesserint, pergendum ad acriora & magis stimulantia, & loco oleosorum & mucilaginosorum substituendum ⊖ *gemmae* à ʒj. ad ʒij quod miris incidentibus, emollientibus & stimulantibus pollet aculeis e. g.

℞. *fl. samb. verbasc. lilior. alb.* ã. mj.
sem. lini ℥ß. *carthami. in petiâ ligat.* ʒiij.
croc. metall. pulp. colocynth. in petiâ ligat. ã ʒß.
coq. in s. q. *decoct. herb.* ☿*ial.* Colat. ℞. ℥x. adde
elect. diacarth. ℥ß. ⊖ *gemm.* ʒj. M. pro Enemate.

Si Enemata etiam aliquoties usurpata non operantur, hoc pro infallibili habet *Mynsicht. Armam. Med. p. 459.*

℞. 🜄 *calid.* ℔j. vel ß. ⊖ *comm.* ℥iß. M. pro Clysmate.

Non rarò quoque flatus cum pituitâ viscidâ & acidâ juncti varia abdominis symptomata producunt; videndum igitur, ut & hi cum matre pituitâ per consvetam portam inferiorem educantur. In hunc finem injiciantur carminativa, utpote aromatica, & de sale volatili oleoso participantia, quae eorundem vim & impetum optimè compescere valent, destruendo sc. acidum fermentativum & mucilaginem viscidam resolvendo. e. g.

℞. *herb. menth. rut.* ☿*ial. calaminth.* ã. mj.
fl. chamaem. Rom. summ. aneth. foenic. ã. p. iv.
rad. zedoar. ʒiij. *bacc. laur. juniperi* ã. ʒij.
sem. anis. cumin. carvi ã. ʒj. coqu. in s. q. 🜄 *comm.*

F Colat.

Colat. ℞. ℔j. in quâ dissolv. *elect. de bacc. lauri* ʒvj.
°°*rut.* ʒj. °°*cum. fœnic. cort. aurant.* gt.a. gt. vj. F. Clyster.

§. 8. Quoniam verò plurimùm quoque pituitæ istiusmodi flatuumque exinde progeneratorum in ventriculo intestinisque tenuibus latitat: Clysmata verò ob valvulam coli eò penetrare non valent, è re erit aromatica carminativa quoque per os propinare. Inter ea verò semina sex calida dicta majora, sc. *anisi. cumin. aneth. fœnic. carvi, dauci*, it. *herb. absinth. chamæm. Rom. menth. angelic. salviæ*; *rad. ari, zedoar. zinzib. galang. macis, caryophyll. cardam. cubeb. bacc. lauri, juniperi, cort. aurant, citri, cinam.* omniaque exindè parata ⊖lia, pulveres, vina medicata, trageæ, ⁓us, ▽æ, °°a, essentiæ, ℞æ &c. stomacho & intestinis, flatibus infestatis potenter ferunt opem, dum sc. ventriculo tonum debitum restituunt, calorem restaurant, acidamque materiam, unde flatus prodeunt, corrigunt, alterant, & resolvunt. Nihil verò magis interest, quàm ut ventriculo, utpote in quo primam mali latitare originem suprà probavimus, debitus restituatur tonus, ipsiusque fermentum instauretur. Illi restituendo conducunt omnia jam enumerata aromatica, cum regimine tamen propinata, respectu scil. habito ad siccitatem, in hoc vel illo subjecto plus minus prædominantem. Præ reliquis tamen commendanda veniunt *extract.* & ⊖*absinth.* ▽*cinam. pulv. stomachicum Dn. D. Præs. essentia theriac. ligni aloes* &c. Valdè quoque se commendat ℞*a* ♂*tis balsamica Exc. Dn. D. Præs.* quæ præter varias mixturas per se quoque est egregia, delicatis potissimùm grata. Huic verò restaurando acida præprimis conducunt, ut *cremor & cryst.* ♀*ri*, ♀*rus*, ⊕*latus*, ⊕*lum* ♂*tis* &c. it. adstringentia, ut *cydoniata* & ex *mespilis, granatis, ribesiis* parata, rob. sc. & confectiones; hinc egregiè quoque conducit ℞*a antiphthisica Gramanni*, quatenus ob misturam convenientem visceribus æstuantibus horumq; laxitatibus mirùm opitulatur. Quæ tamen omnia cum maximâ cautelâ sunt propinanda, ne sanguis jam tùm coagulabilis magis concentretur, aut acidum etiam jam tùm satis in corpore abundans his ipsis augeatur, sicque malum contumacius reddatur. Pro excitando verò appetitu commendari potest ⊖ *stomachicum*, ex ☉ ⁓us ⊖lis ✱ci cum ⊖le ♀ri parati, cibis ipsis commodè interponendum. Longè verò

elegan-

elegantius hunc in finem parat *Excell. Dn. D. Præses* ex 🜩u ⊖lis ✳ci cum 🜩u ⊖lis ſtriato fixato.

§. 9. Et hâc fermè ratione cauſæ tolluntur, quibus ſublatis ſanguis quoque adeundus eſt, eidemque debita craſis reſtituenda. Jam vero ſupra *cap. II. §. 4.* innuimus modum, quo fortè ſanguinis maſſa in adfectu hypochondriaco alteretur, illumque in FUSIONE & COAGULATIONE conſiſtere, ex analogiâ, quam cum lacte habet, demonſtravimus, dependentibus ſcil. ex adfluxu & miſtione acidi cujuspiam ⊖lis. Hinc facilè colligere licebit, quibusnam mediis malo noſtro ire obviam, maſſamq; ſanguineam in priſtinum ſtatum reducere queamus. Ea nimirum adhibenda, quæ ⊖lem acidum fortiter adprehendunt, ejusque fluorem & exaltationem impediunt & deprimunt; reliquas vero ſalinas particulas, ceu principia ſanguinis activa depreſſa aut diminuta evehunt rurſus atque adaugent, ſicque ſtrictiores horum cum acido combinationes præcavent aut abrumpunt. In quem finem medicamenta 🜩uoſa, utpote 🜩 *C. Cervi Eboris*, ⊡*næ*, ✳*ci. fuliginis, ſanguinis humani, ſuccini volatilis*, ⊕*tri*, ♀*ri* &c. it. ſalina cujuscunque generis tùm fixa, tùm ⦶troſa, tùm *volatilia*, e. g. ⊖ *abſinth. card. bened. cent. ex bacc. juniperi*, ⊖ *C. C. volatile, eboris volat. ſuccin. volat.* ⊡*næ volat.* & 🜩 ⊖lis benè rectificati adfuſione fixata & cryſtalliſata. It. ♀rea, utpote *cryſt.* ♀*ri, cremor* ♀*ri*, ⊖ ♀*ri*, ♀*rus* ⊕*latus*, ♀*rus chalybeatus*. It. ⦶*trum* ♁*niatum*; quod ipſum inſimul æſtus viſcerum optimè compeſcit. Sic ⊖ ſuum *oleaginoſum* extollit *Sylvius*, & quasvis vitioſas efferveſcentias atque inordinationes tollere feliciter illud adfirmat. Non negligendum quoque eſt ⊖ *fuliginis* ☍ *uſum* ad ℈ß. quod potentiſſimè reſolvit, alterat & incidit, & agonizantes non rarò corroboravit. It. 🜩 *urinoſ.* ✳*ci* ad ℈ß. c. *eſſentiâ caſtorei* adhibitus pro præſtantiſſimo remedio adhibetur in ſuffocatione hypochondriacâ. Egregii quoque uſus ſunt *bezoartica* omnia, quæ optimè corrigunt acidum, attenuant & aperiunt, inſimulque ſudorem urgent. Sic ♁*rea* etiam & inprimis *chalybeata* conducunt, quatenus nimirum ſanguini illata novum ipſi ac uberius ♁ris penum addunt. Sic *flores* ♁*ris* ad g̃. vj. x. & amplius in juſculo vel cum ſaccharo canto egregiè corrigunt acidum: Qui

ipſi

ipſi etiam commodè miſceri poſſunt pulveribus præcipitantibus & reſolventibus. Sic egregius quoque eſt *crocus ♂tis ⊕lati*, ſeu per ſe detur, ſeu pulveri ſtomachali ãã vel ſubduplâ proportione miſceatur. Magis tamen commendabilis eſt *ſaccharinus albus*, propterea, quòd ructibus non adeò tentare ſoleat patientes. Nec rejiciendus eſt *crocus ♂tis flaveſcens*, ex reſiduo fl. ⊖ ✱ci ♂lium inferiorum paratus, ſeu ſolus, ſeu cum floribus ⊖✱ci ſimplicibus exhibitus. Sic *Magiſterium ſuum ♂tis aperitivum* extollit *Mynſicht*, & adfuſo vino Rhenano parat exinde acidulas artificiales, cujusmodi ♂tiales acidulæ proſtant quoque apud *Kyperum*, *Schröderum Glauberum*. Sic egregiæ quoque ſunt ℞*æ ♂tis aperitivæ* variè præparatæ, cumprimis *Zwölfferi*, it ℞*a antihypochondriaca Mœbii*. Sic miſcet *Excell. Dn. D. Præſes* ℞*am ♂tis cydoniatam c.* ℞*â ♁tis ⊕latâ*, & egregium exindè conſurgit medicamentum, colore, ſapore & effectu commendabile. Commodè quoque adhiberi poteſt ℞*a ♂tis adſtringens*; quia non tàm fluoribus ſuum præſtat officium, quàm viſcerum laxitatibus. Magnum item levamen præſtare ſolent varia oſtracodermorum genera, ſeu ſolitaria dentur, ſeu cum cinnabarinis ♁ialibus, ♂tialibus, opiatis &c. exaltata. Quorum potiſſimus operandi modus non tàm conſiſtit in fuſione & præcipitatione ſenſibili; quàm quòd particulæ illorum terreſtres, ⊖linis in præparatione multùm ſpoliatæ, iisdem aut ſimilibus reuniri avidiſſimè expetunt. Et quoniam talismodi plurimæ in ægris noſtris occurrunt, easdem obvias facilè abſorbent, & combinatione ſuâ intimiori ligant & compeſcunt, hâcque ratione multas enormitates à ⊖lium fluore potiſſimùm obortas tollunt, cruoremque fluxionibus & coagulationibus immunem reddunt. Pari penitùs modo multa quoque *♂lia*, quatenus particulæ terreſtres, ⊖linis commiſtæ, plus de liquore acido imbibunt, & ſecum educunt, ut & *C. C. uſtum*, *ebur uſtum*, & *♁nium diaphoreticum* non rarò virtutes ſuas hâc ratione exſerunt; quamvis non negem ♂lia & ♁nium diaphoreticum aliâ planè ratione in corpus noſtrum ſæpius agere, conſervando, ſcil. cruoris mixtionem integram, aut vacillantem reſtaurando, ſicque ſeri acidioris excretionem promovendo. Cumprimis etiam *cinnabarina* hîc excellunt, utpote quæ quibusvis tàm præcipitanti-

bus,

bus, quàm abſorbentibus facilè palmam præripiunt, ſeu cum conchis præparatis ſeu alio quopiam miſceantur, hincque in quovis humorum motu inordinato feliciſſimè adhibentur. Addi his pro re natâ poteſt ſperma ceti, quod mirè pollet viribus reſolvendi ſanguinem grumoſum. Reſolutivus talis pulvis ex ♁*diaphor.* & *lap.* ♋ partibus anaticis etiam paratur, qui ipſe eſt pulvis ſtomachicus *Poterii.* Sic:

℞. *pulv. ſtom.* ℥ß. *conch. præparat. cinnab. nativ.* ā. ℈j.
croc. ♂*tis ſaccharini* ℈ß. *laud. op.* g. j. M. F. Pulvis.
℞. *pulv. è chel. compoſ. corall. præparat. ſpodii* ā. ʒij.
margarit. præparat. cinn. nativ. ā. ʒß. ⊕*li* ♂*tis* ℈j. M.
F. pulv. ad ʒß. bis vel ter in die cum ▽â adpropriatâ ſumend9.
Sic ℞. *croc.* ♂*tis aperit. lapid.* ♋ *ſpermat. ceti* ā. ʒj.
C. C. uſti, corall. rubr. ♁*nii diaphor.* ā. ʒij.
⊕*li* ♂*tis* ℈j. M. F. Pulvis eodem modo ſumendus.

Inſtar omnium verò ſit *pulv. abſorbens Excell. Dn. D. Præſid. communicatus in Opiologiâ*, à quo ſanè non tam ipſe infinitis vicibus, quàm clariſſimi alii medici aliquot in affectibus plus efficaciæ viderunt, quàm ex pluribus purgantibus ac vulgaribus ſtomachicis confortantibus.

Hæc & ſimilia in particulas ⊖linas feliciſſimè agunt, easque tàm per vias urinarias, quàm per ſudorem educunt, *quas dum in amplexus ſuos rapiunt, à combinatione cum aliis nimis ſtrictâ divellunt: Proinde ut ita laxatâ ſanguinis compage & pulſu aucto ſeroſitates ſuperfluæ aliaque recrementa facilius ſecedere, ac per ſudorem ac* ☐*am amandari poſſint, faciunt.* Vid. *Williſ. Pharm. rat. p.* 197.

§. 10. Remedia tertio loco indicata, quæ nempè τῷ ἐγκεφάλῳ & nervoſo generi ſubveniant, rarò ſeorſim adhibentur, ſed plerumque cum jam enumeratis ſanguinem emendantibus complicantur. Conducunt verò omnia, quæ ἀναθυμίασιν quaſi armoniacalem ſeu diſſipativam ſpirant, ideoq; ſpiritus animales depurare, & copulâ heterogeneâ exuere valent: qualia ſunt ∼*us C. C. fuliginis,* ✱*ci* &c. ad gt. xv. vel xx. bis in die cum ▽â adpropriatâ, cavendo tamen, ne in nimiâ quantitate propinentur, ſicque omne acidum ſanguini auferatur, adpetitus ſimul extinguatur, & maraſmus ſeu febris tabida toti corpori ſuccedat. Aliàs etiam *Ræ*

♀*ri*, ♁*nii*, ♂*tis* &c. it. *arcanum* ♀*ri* per vices exhiberi possunt. Cumprimis tamen in vertigine & scotomiâ, animique deliquiis *chalybeata egregium præstitisse levamen, testatur Willis Path. Cerebri p. m. 208.* Sunt etiam, quæ specifica audiunt remedia, e. g. *viscus quercinus, ruta, pæonia mas, ungula alcis, castoreum, succinum, corallia,* omniaque ex sanguine & cranio humano parata. Quæ singula singularem cerebrum confortandi, ejusque poros constringendi habere vim deprehenduntur, hâcque ipsâ constrictione omnem heterogeneitatem spiritibus concopulatam exprimere, spiritusq; ipsos, cerebri & nervorum incolas ita figere & quasi sistere, ut non amplius in explosiones irregulares apti & proclives fiant. Præ reliquis tamen laudatur *pulv. trium regnorum Dn. D. Præs.* ex antepilept. sc. animal. mineral. & vegetab. compositus cum vel sine pulvere bezoartico. Sic cinnabarina quoq; suum faciunt, utpote nervis, membranis & articulis admodum amica. Opiata quoque hîc addunt suum *ἐπιβάλλον μέρος*, queis graves convulsionum paroxysmi non rarò feliciter curantur, uti hoc passim experientiâ multijugâ confirmat *Excell. D. D. Præses, in Opiologiâ.* Et docet insuper *Insigniss. Willis Pathol. Cerebri p. 71. Spiritus animales, utut efferos & furentes, particularum tamen narcoticarum implexu, injectis veluti catenis ligari.* Cavendum tamen sedulò, ne in quantitate doseos peccemus, sicq; catenis eosdem constringamus nunquam resolvendis.

§. 11. Si externè hypochondriis medelam quis desiderat, ille illinire potest olea carminativa, *anethi, carvi, fœnic. ceræ, succin. juniper.* Ωta &c. aliis expressis ceu corpore excepta; emplastra item & scuta varia; sacculos paregoricos & roborantes, balsama &c. aliunde petenda applicare.

§. 12. Nihil nunc restat, quàm ut de DIÆTA pauca quædam moneamus, cùm in eâ legitimè administrandâ maximùm sanitatis tùm conservandæ tùm recuperandæ positum sit momentum. Hanc quamvis ex causarum historiâ, quarum ex errore in sex rebus nonnaturalibus commisso jam suprà Cap. IV. facta fuit mentio, de facili sibi quisque possit præscribere; ne tamen quid intermissum videatur, brevissimè adumbrationem illius repetemus, & quæ fortè suprà omissa, recensebimus specialius. AERIS

igitur

igitur temperies, quæ ambiat hypochondriacos, sit pura & temperata; quam si negat naturâ, ad artis asylum & auxilium confugiendum, parato suffumigio ex *mastiche, myrrhâ, succino, thure, ligno aloës, benzoe, styrac. calam.* & similibus. Non excedat in frigiditate; borealis enim atque frigidior salsâ semper aciditate est inquinatus, ideoque acidum, jam tùm in ægris redundans facilè auget, atque per poros corpori se insinuans, frigiditate suâ calorem ventriculi destruit, pituitamque spissiorem reddit: nec in caliditate; australis enim & calidior sanguinem halitibus acrioribus jam tùm plus satis evectum, magis magisque rarefacit. Sæpè quoque instituatur aëris mutatio. Dici enim vix potest, quantum sola aëris, inclusi nimirum & domestici in campestrem liberiorem mutatio ægris adferat levamen. Etenim non solùm ædium, sed ipsarum etiam urbium aër semper est calidior, magis suffocatus, & aliquo modo impurior aëre campestri externo & liberiori ideoque minus etiam salutaris. Manifestè igitur sanitati suæ obsunt, qui subindè domi obserati permanere gaudent, aëremque apertum nimiùm timent: cùm in omnibus morbi chronicis, præcipuè verò in hoc experientiâ certissimâ constet, varietatem aëris, regionis sc. mutationes, & ab aëre consveto discessus efficacissimum & tutissimum fuisse remedium.

§. 13. Cibi semper *εὔχυμοι καὶ εὔπεπτοι*, non viscidi, non terrestres, non flatulenti, nec nimis saliti fumove indurati apponantur. Cerevisia sit benè defæcata, nec acescens, ex laudabili frumento & inculpatâ aquâ decocta, lupuloque probè condita. In quâ macerentur pro lubitu *herb. absinth. card. benedict. scolopendr.* &c. Vinum sit generosum, spirituque pollens, quale Rhenanum & Francicum, hoc enim *πέψις* admodum augetur, & cruditates ventriculi subiguntur. Cavendus verò sedulò est (1.) panis non probè excoctus nec benè fermentatus, ut & placentæ & similæ non ritè fermentatæ, quia juxta *Quercetan. in Diæt. Polyhist. sect. 2. cap. 5. difficulter coquuntur & obstructiones pariunt.* Exemplum refert *Mœbius in Epit. Inst. Med. p. 453. ex spirarum in nimiâ copiâ comestione alvi lethalem successisse obstructionem.* Nec (2.) conducunt pisces frequenter comesti, qui *Francisci Ranchini testimonio parùm nutriunt, & pituitam atque excrementa multiplicant.*

Et

Et licet ſaxatiles ob candidam & friabilem carnē à *Roberto Montano* præferantur reliquis, & comedi non disſvadeantur; nihilominus quando in hypochondriacis ventriculus jam tùm quaſi pituitâ obſeptus torpet, eorum eſum & uſum his planè contrariũ arbitror. Cavendũ præprimis à piſcibus ⊖le conditi, vel ſole exſiccatis, qui utpote cibi ſicciores juxta *Gvalt. Charleton: exercit. Pathol. V.* dum *chylum quàm par eſt tenuem minus ac fluidum ſuppeditant, ſanguinem quodammodò incraſſant, figunt, & tùm volatiliſationi tùm diſtributioni parùm idoneos reddunt* : *unde* addit, *nutritionis imminutio, ſegnior ſanguinis circulatio, viſcerum ἐμφράξεις aliaq; ejusmodi farinæ incommoda ſolent infeſtare.* Qui de carnibus fumo induratis idem velit pronunciare, vix fortè abs re faciet. In horum claſſe conſtituta quoque ſunt omnis generis legumina, lentes, piſa, fabæ &c. de quibus *Dioſcorides libro 2. cap. 97.* & *Cardanus libr. 2. de ſanit. tuendâ cap. 12.* referunt, quod ægrè concoquantur, ventriculo noceant, ipſumque & inteſtina inflent, & alvum ſiſtant, & ſi cum ſuo cortice ſumantur, gravia & tumultuoſa inſomnia faciant &c. Quib9 jure merito adnumerantur raphani, caſtaneæ, meſpila, allia, cepæ &c. quæ maximũ juxta *Schwalb. in Q. V. p. 134. ventriculo faciunt laborem, illiusq; orificium innumeris laxant ructibus.* Omnia item acida vehementer officiunt crebriùs uſurpata. Nam quævis obvia facilè coagulant, ſicque in venis non duntaxat obſtructiones pertinaciſſimas, ſed alvi quoque contumaciam ſatis non raro diuturnam inducunt. Nec dulcia copioſè haurienda. Hæc quippe in paſſione hypochondriacâ novam ſemper cum vitioſo acido fermentationem atque ebullitionem ineuntia, doloroſas in ſiniſtro latere cient turbas, gravitatisque ac frigoris ſenſus excitant; appetitus inde proſternitur, omnia ingeſta corrumpuntur ac putreſcunt, prout ex ructibus poſt uſum dulcium cuivis patet. Et experientia teſtatur, carnes ſaccharo conſperſas & in loco mediocriter tantùm calente adſervatas, citiſſimè putredinem contrahere. Præterea ſub vitioſâ hâc ſtomachi fermentativâ digeſtione copioſum gas eructant dulcia, quod per pylorum erumpens inteſtina flatibus replet. Hinc quævis vina dulcia, muſtum, ut & omnia ſaccharata ventriculo flatus ac tormina excitant, variasque obſtructiones excludunt. Quibus

Exc. Dn. D. Etmüllerus, Lipsiensium Practicorum decus, *in diss. de malo hypochondr.* fidem facit exemplo mulieris cujusdam, quæ coacervatis antè ex inordinatâ diætâ multis visciditatibus, vinum probè edulcoratum, utpote potum facilè fermentescibilem superingessit, sique ex oriundâ à vitiosâ fermentatione flatuum copiâ in atrocissimos hypochondriorum cruciatus incidit.

§. 14. EXERCITIA CORPORIS sint moderata & tempestiva; non pleno ventriculo, sed ante pastum instituenda. Sic enim calor ventriculi quodammodò suscitatur, quò cibi ingerendi eò faciliùs dein subigi queant. Maximè contrà culpandus est motus vehementior statim à pastu. Hic enim ciborum in ventriculo fermentationem, quæ omninò quietem flagitabant, turbat admodùm: ideòq; chylus ob calorem aliò deductum adhuc crudus, & ob distractos nimis, atq; turbatos spiritus nimis acris aut acidus è ventriculo propellitur, vasaque lactea subiens, variè coagulatur, variæque in vasis ac glandulis mesaraicis obstructiones, flatus item ac distensiones & dolores gravativi generantur.

§. 15. In SOMNO & VIGILIIS semper cavendum τὸ πολύ. Utrumq; enim, nisi vices suas debito tempore alternent, seseq; ita invicem sublevent, maximè noxium esse, suprà indicavimus. Semper etiam attendendum, ut somnum capturi corpus debitè extendamus, nec membris in se quasi curvatis atque compressis (quod multi in more positum habent) indormiscamus. Quantas enim in corpore nostro ἀταξίας gignant incongruæ istiusmodi dormientium formæ, quisque cum maximo sui damno experitur, qui corpore antrorsum reflexo, capiteque brachiis suis, mensæ instratis imposito non rarò obdormire solet. Non solùm enim variæ ob vasorum compressionem oriundæ obstructiones vix elevare tergora permittunt; sed totum corpus quasi formicat, ex inordinationibus spirituum animalium, à depressis fibris nerveis motu solito inhibitorum.

§. 16. EXCRETA atque RETENTA justis temperentur mensuris, alvusque quotidiè respondeat ingestis, sin minus, medicamentis supra citatis sui admoneatur officii, *pilulis* præprimis *Francofurtensibus*, aut *aloëticis* solùm, aliisque lenientibus.

§. 17. ANIMI PATHEMATA rectis moderentur habenis.

Angue

Angue pejus vitentur mœrores ac ſolicitudines, quæ ſi jucundo amicorum colloquio ſedari non poſſint, muſicâ vocali aut inſtrumentali res agenda. Caveantur quoque profundæ cogitationes aliæ, aut protractæ in mediam noctem lucubrationes. Impatientia præprimis exulet; erigat potius æger animum firmâ reſtitutionis fiduciâ, ſeque morigerum præbeat Medico præſcriptisque obedientem. Satius enim non rarò fuiſſet Medico abſtinuiſſe à vertumnis aliquibus & impatientibus iſtiusmodi patientibus, eosque genio ſuo reliquiſſe, quàm operam ſuam licet ſedulò adhibitam, & medicamenta polychreſta, hîc omninò incaſſum præſcripta defamaviſſe.



Xtantior virtus coruſcat impreſsâ
ſibi luce propriâ nec inclutum Nomen
Parentis aut Avi radiis ſuis miſcet:
Teſtaris hoc, ZOPFI, Machaonis proles,
qui epidaurias artes capace fortiq;
animo ſecutus, immemor Patris famæ,
conaris *ipſemet* parare manſuram
Laurum labore propriò: Brabeum indè

dignum

dignum capeſſis. Grator inde laudoque
mentem parantem gratiam incluſæ famæ. (nutu!
NUMEN ſecundet cœpta proſpero

Honori novello optimè merito
Nobiliſſ. atque Cl. Dn. Doctorandi
ſcrib.

Auguſtinus Henricus Faſchius, D.
Anat. Chirurg. & Botanices Prof. Publ. Archiater Ducalis Saxonicus & p. t.
Academiæ Rector.



Orbum, qui doctos infeſtat, pellere tentas:
Rem quàm difficilem, ſed quæ digniſſima laude.
Pergito ſic alacer! Doctoris nobile nomen
Sic capies, & eris Muſarum dulcis amicus.

Gratulabundus deproperab.
Rudolph-Wilhelmus Krauß/
Phil. & Med. D. Prof. Publ.

Felix

Elix, qui potuit microcoſmi
Protea noſſe;
Felix, qui potuit pellere
rite malum.
Te cum vidiſſet tantis his auſibus
aptum
Phœbus, huic capiti nectere
ſerta jubet.

Nobil. & Clar. Dn. Zopfio, Medicinæ Doctorando digniſſimo, honores, quos ambit ex merito, felices eſſe jubeo

PRÆSES.

*Er multos pariunt tetros hypochondria morbos:*
His benè proſpiciens magnus Apollo cluet.

Ita Nobiliſſimo Dn. ZOPFIO, Affini meo honoratiſſimo, Diſſertatione Inaugurali graviſſimum hypochondriorum affectum, ejusque medelas exponenti, gratulab. adcineb.

Caſpar Poſner, P.P.

FINIS.